

**IN NOMINE DOMINI INCIPIT SECUNDA  
PARS BREVIARII, SCILICET DE  
FESTIVITATIBUS PER CIRCULUM ANNI,  
SECUNDUM MOREM STRIGONIENSIS  
ECCLESIAE**



# DE SANCTO SILVESTRO

## ad vesp̄eras

**Antiphona:** Sancte Silvéster, confessor. **Ps.** Laudáte, p̄uri **cum aliis.** **Capitulum:** Plures facti sunt. **Responsorium:** Iustum dedúxit. **Hymnus:** Iste confessor. **Versiculus:** Amávit eum. **Ad Magníficat antiphona:** Iste homo, **quære in communi.**

### Oratio

**D**A, quæsumus, omnípotens Deus, ut beáti Silvéstri, confessoris tui atque pontificis veneránda sollémnitas et devotióne nobis áugeat, et salútem. Per.

**Completorium de Nativitate Domini. Historia de communi. In missa præfatio:** Quia per incarnáti **cum suo** Communicántes **propter octavam Nativitatis.**

### Lectio prima

**S**ANCTUS Silvéster, cum esset infántulus, a vídua matre sua, iusta nómine, tráditus est Cyríno presb̄ytero, cuius et vitam, et mores imitátus, ad summum ápicem Christiánæ religióne áttigit. Factus autem iúvenis, hospitalitátem tota ánima diligéntia exhibébat, quam non divitiæ terrénæ, sed bonæ voluntátis thesáuri adimplébant. Tantámque ei grátiam Deus dedit, ut non solum a Christiánis, sed étiam ab éthnicis nímio diligerétur afféctu. Tricésimo namque ætátis suæ anno a sancto Melchiáde, urbis Romæ ep̄scopo, díaconus factus, non multo post, omnis pópulus Christianórum in urbe presb̄yterum eum sibi expóscunt fieri. Tu autem.

### Lectio secunda

**S**ANCTO ígitur Silvéstro presb̄ytero ordináto, tantam ei grátiam Dóminus cóntulit, ut nullus esset, qui non illum ex afféctu diligeret, et verum Dei esse fámulum acclamáret. Erat autem aspéctu angélicus, sermóne nítidus, ópere sanctus, corpore ínteger, ingenio óptimus, consílio magnus, fide cathólicus, spe patientíssimus, caritáte diffúsus. Sancto itaque Melchiáde ep̄scopo migránte ad Dóminum, ab omni pópulo Silvéster elígitur, ita, ut nullus invenirétur, qui non eius electiόnem acclamáret. Sanctus vero Silvéster, ætátis suæ excusatiόnem ópponens, quantum se excusábat indígnum, tantum dígnius ab ómnibus clamabátur. Quid multa? His

et huiuscémodi assertiónibus populórum artátus, auctóre Deo, levátur urbis Romæ epíscopus. Tu autem.

Lectio tertia<sup>a</sup>

**E**T quia hoc esse méruit, opéribus declarábat. Erat enim piíssimus, et omni suavitate conspícuus, atque ita inter dívites et páuperes [!] illum, quasi parem aspícerent. Dívites vero, quasi superiorem sibi dívitem estimárent. Non enim ad persónæ poténtiam, sed ad morum elegántiam attendébat, et tanto unumquémque eminentius honorábat, quanto vívere sánctius didicisset. Circa egénos vero, et ádvenas, ita secúndum verbum [Dei] se exhibébat sollícitum, ut [Christum] esse in his créderet, et in hi[s ipse Chri]sto se conférre necessária [gaudéret.] Habébat quoque sanct[us Silvéster nomina] viduárum et orphanórum in sua] scripta matrícula, v[...] regióne essent víduæ, [quot orpháni,] quot clérici, quot m[...] et nómina] et númerum diligenter sciret, et quasi de] fíliis suis pleno [caritátis affé]ctu, de eórum nec[essitatibus] [...]reret. Tu autem.

[Lectio quarta]<sup>b</sup>

[Clericórum ómnium ita curam gerébat, ut cléricos páuperes, quos vidisset, divítibus cléricis sociáret, ut secúndum apóstolum] horum inópiam illorum habundántia subleváret. Laicórum cura ita illi erat, ut si quos in lege studiósos inter illos reperisset, nímia diligeret veneratióne, et suis eos amicítiis copuláret. Si vero áliqua dona a divítibus suscepisset, statim ea in quatuor partes dividens, archidiácono committébat, ut una pars restauratióibus ecclesiárum, vel cimiteriórum proficeret, ália paupéribus cléricis, tértia cúnctis paupéribus, quarta vero ádvenis traderétur. O, quam sæpe débitor esse vóluit, ut debitoribus subveníret, ut hi, qui tenebántur in vínculis, laxaréntur. Tu autem.

Lectio quinta<sup>c</sup>

**V**ÍRGINUM autem Christi curam ita beátus Silvéster suscepérat, ut monastériis eárum constitúeret cibum, ne forte necessitate compúlsæ, ignotórum solácia quærérent, ut dum corpus rélevant, ánimam subiugárent. Si quis autem Christianórum pro fide sua, herédem fécisset ecclésiám, statim vidébat omnes illíus affines

<sup>a</sup> Emendatum: Cod. Sang. 567. (St. Gallen, Stiftsbibliothek, sæc. VIII.)

<sup>b</sup> Emendatum: Cod. Sang. 567. (St. Gallen, Stiftsbibliothek, sæc. VIII.)

<sup>c</sup> Emendatum: Cod. Sang. 567. (St. Gallen, Stiftsbibliothek, sæc. VIII.)

veníre, omnésque inquiriri, et cum univérsam consanguinitátem eius ex facultáte dimíssa ecclésiæ, prout possíbile erat, honorábát, omnésque servitú[tis] [vín]culo exsolvébat, et ita demum [domin]atióem ecclésiæ exercébat. [Dicéba]t enim ídeo herédem fieri ec[clési]am, ut] ómnia, quæ sunt iusta et ambí[lia ipsi dis]pónat, ut sit gáudium [vidéntibus, quo]d in defúnci bonis heres [ecclési]a effícatur]. Ipse autem sanctus Sil[véster] [quotidi]ána doctrína pópulos in[vitábat, ut ad] prædicatióem eius copi[ósa turba concúr]reret. Tu.

**Lectio sexta<sup>d</sup>**

[ómn]ia bona eius scríbere [...qu]áliter ad síde[reas mansiões] migráverit [...] [Appropin]quánte vi[ta]e eius término, convocávit omnes sa[cer]dótes et lévitas, omnémque clerum, benedíxitque eos, et ósculans síngulos táliter allocútus est: « Iam me, fílii caríssimi, ætas compéllit ad tránsitum. Comméndo vobis ómnibus amplíssimam caritátem. Comméndo Ecclésiám Dei apostólicis fundátam doctrínis. » Qui, dum ista et ália multa díceret, inter divína collóquia spíritum cælo réddidit. Sepúltus itaque est in cimitério via Salária, ab urbe milliário tértio. Ubi Dóminus noster, Iesus Christus, ad declaránda insígnia eius sanctitátis, plúrima benefícia his, qui fidéliter suffrágia petunt, ad laudem sui nóminis præstáre dignátur. Tu.

**Homelia:** Vigiláte, quia néscitis.

## IN FESTO SANCTI HILARII CONFESSORIS

**Oratio**

**D**EUS, fidélium remunerátor animárum, præsta quæsumus, ut beáti Hilárii confessoris tui atque pontíficis, cuius celebrándam venerámur festivitátem, précibus indulgéntiam consequámur. Per Dóminum.

---

<sup>d</sup> Emendatum: Cod. Sang. 567. (St. Gallen, Stiftsbibliothek, sæc. VIII.)

## IN FESTO SANCTI PAULI PRIMI HEREMITÆ

### Oratio

**S**ANCTI Pauli primi heremite tui maiestati tue nos, quæsumus Dómine, tibi commendet oratio, et pro nobis ipso inveniēte, ad gáudia æterna perdúcas. Per Dóminum.

## IN FESTO SANCTI FELICIS MARTYRIS

**Capitulum:** Iustus si morte etc.

### Oratio

**C**ONCÉDE, quæsumus, omnipotens Deus, ut ad meliorem vitam sancti Felicis mártiris tui exémpla nos próvocent, quátenus, cuius sollémnia ágimus, étiam actus imitémur. Per Dóminum.

### Lectio prima<sup>e</sup>

**A**PUD Nolam Campániæ beáti Felicis presbýteri hic a Maximiano, Noláne urbis episcopo, presbytérii honóre præditus est. Cum autem imperatórum decreta Christiános inséqui præcipissent, Maximianus pón tifex, iam sénio pergravátus, putans se non posse ferre supplicia, silvárum saltus ádiit. Quos, dum túrbidus de persecutióne pererráret, afféctus famæ, gelu attrítus, solo córruit semivívus. Tu autem.

### Lectio secunda

**T**UNC beátus Felix presbyter captus, et vínculis astríctus, cum ante præsidem Draccum addúctus fuisset, múltaque ante ipsum deporténtis deórum, quod nihil essent, disputásset, eumque præfectus impélleret, ut immoláret, respóndit: « Inimíci estis deórum vestrórum, ad quæcúmque enim me deórum vestrórum templa eduxéritis, hoc eis evéniet, quod evénit illis, ad quæ fratrem meum Felicem duxisse vos pænitet. Sed si vultis probáre virtútem Dómini nostri Iesu Christi, me ad Capitólium ire iubéte, ut ipsum Iovem, princípem dæmoniórum vestrórum rúere fáciam. » Mox ímpius iudex, compréssis áuribus suis, iussit eum fústibus cedi. Deínde ecúlei torméntis aplicári. Inde beátus conféssor cárcere inclúditur,

---

<sup>e</sup> Fons: Ado Viennensis: Martyrologium. PL 123 0214b

in quo non mediócribus vínculis astríctus, cóchleis ac testis suppositus exténditur. Et ecce, nocte média ángelus Dómini, confráctis cathénis, scissáque trabe, quæ pedes eius tenebántur, ait illi: « Surge, et egrédere, ac require sacerdotem tuum, inventúmque reduc ad urbem, et absconde, ne inédia ac famæ péreat, donec désinat persecútio. » Tu.

#### Lectio tertia

**C**UMQUE beátus Felix egréssus, sacerdotem et episcopum requisisset suum, invénit illum solo prostrátum, cláuisis óculis, strictisque déntibus vix spirántem. Et cum anxie requireret, quid aliménti defécto seni porrigeret, ecce, súbito de séntibus uvam péndere mirátur. De qua albis granis in os confessoris expréssis, páululum refocillátus, sénior surréxit. Quem húmeris impósitum, Felix ad civitátem détulit, et sub tugúrio cuiúsdam víduæ commendátum, aliméntis pavit. Tu autem.

#### Lectio quarta

**D**EÍNDE captus, et in exílium deportátus est beátus martyr in montem, qui vocáto Cirtéio, ubi lápidés excidabántur, ut ipse cum damnátis pari modo lápidum cæsor esset. Ubi Probi, cuiúsdam tribúni fíliam a dæmóne liberávit, uxoremque eius ab hydrópis morbo curávit. Ipsúmque Probum cum uxóre et fíliá, et plúribus áliis, in Christo baptizávit. Tu autem.

#### Lectio quinta

**P**OST deínde regréssus, crescénte persecutióne, íterum míttitur persecútor ex número apparitórum, qui beátum Felícem téneret. Quem, cum sollícite requirerent, et eúndem ipsum Felícem interrogárent, si nósceret, ubi beátus Felix présbyter láteret: « Hac – inquit Felix – parte ábiit. » Persecutore discedénte, Felix latébram pétiit. Sed nec mora, persecútor ipse subséquitur. At martyr inter parietes dirútos occulebátur. Ubi in ipso primo domus intróitu araneárum telæ dependétes, intus néminem tunc intrásse, fidem fécerant. Qua visióne delúsus, inimicus abscessit. Sic martyr ad álium locum démigrans, a muliere quadam per tres menses pastus est, cuius tamen fáciem, dum eisdem latíbulis celarétur, nullo modo vidit.

## Lectio sexta

**P**ÓSTMODUM vero apud Nolam pontíficem dæmoniórū ad Christum convértens, templum Apollínis, prius dæmóne, qui respónsa dabat expúlso, virtúte divína deiécit. Virtútibus itaque ádeo illústris, cum vellet univérsus pópulus Nolánus ut levarétur epíscopus, non consénsit, sed álterum in sede pontificáli delégens, ipse post duódecim annos, quos apud Nolam cessánte persecutióne fécerat, domínica die, mytériis conféctis, data pace ómnibus, se in paviméntum oratúrus proiécit, moxque beáti viri ánima de carnis ergástulo egréssa est. Post grávia pro Christo torménta, quæ patiénter túlerat, felícia regna ipse vere Felix conscéndit. Sepultúsque est iuxta urbem, in loco, qui dícitur Pincis, ab Elpídio, venerábili et sancto persbýtero, ubi claret semper virtútibus.

**Homelia:** Si quis vult. **vel:** Nisi granum.

## IN FESTO SANCTI MAURI ABBATIS

**Capitulum:** Diléctus Deo etc.

## Oratio

**D**EUS, qui hodiérnam diem beáti Máuri confessóris tui atque abbátis sacro tránsitu consecrásti, concéde nobis propítius, in offénsis per eius institúta gréssibus pèrgere, ut eiúsdem in regióne vivéntium mereámur gáudiis admiscéri. Per.

## Lectio prima

**B**EÁTUS Máurus, claríssimo senatórum génere exórtus, omnipoténti Deo sub regulári institutióne nutriéndus, duodénis sancto Benedícto a paréntibus est tráditus. Qui, cum adhuc iúnior bonis pólletet móribus, sicut étiam ipsi vídimus, magistri cæpit adiútor existere, ac eius miraculórū cooperátor esse. Hunc enim sanctus Benedíctus præ ómnibus cárius diléxit, et instrúxit, atque ita omnipoténtis Dei informávit servítio, ut némini post ipsum in cænóbio sacrosáncta observatióne fíeret secúndus. Tu autem.

## Lectio secunda

**Q**UIS unquam austérius corpus próprium ieiúniis, abstinéntia, ac vigíliis squaloribúsque, et nímiis edómuit frigóribus. Frequénter enim eum vídimus in sanctæ quadragésimæ diébus, nec túnica, nec cucúlla, nisi solúmmodo sacco, uti cilícino, et duábus tantum vícibus



in hebdómada parvissimum pótius prægustáre, quam súmerè cibum. Iste quippe mos in omni vita fuit sancto Benedícto. Tu autem.

Lectio tertia

**B**EÁTUS Máurus, exémplo magístri sui provocátus, afflictiónè perválda carnem macerábat, in quantum illi eiúsdem patris sui permittébat licéntia. Nam reliquo totíus anni témpore sub monacháli túnica a scápulís usque renes semper aspérrima induebátur trógulo. In stratu vero super aggéstum calcis et sábuli, excepto quadragesimáli témpore, semper utebátur cilício. Tunc enim non iacéndo, sed pótius stando, vel cum nímia eum lassitúdo compúlerat, sedéndo somnum cápere consuéverat. Tu autem.

Lectio quarta

**N**EMO beátum Máurum unquam vidit de léctulo cum cæteris súrgere frátribus, sed semper noctúrnos præveníre hymnos procurábat attentíus. Plérumque quinquágenos sæpe étiam plures, et nonnúmquam totum ex órdine psaltérium ante nocturnále consummábat officium. Tu.

Lectio quinta

**C**UM ígitur beátus Máurus in monastério patris Benedícti præpósiti ac procuratóris post ipsum fungerétur officío, et eo absénte, quædam die ab agri ópere reverterétur, cláudum quemdam ac mutum púerum in itinere invénit. Cuius pater et mater beáti viri pédibus provolúti, terríbile nomen Dei obtestabántur, ut filiium suum eis sanum rédderet. Tu.

Lectio sexta

**B**EÁTUS Máurus, cum tale attemptáre miráculum nímio pavóre refúgeret, victi fratres, qui cum eo erant, paréntum præcibus rogáre eum pro púero cœpérunt. At ille lácrimis perfúsus, atque in oratióne prostrátus, deínde super infirmum signum crucis fáciens, atque ad cælum óculos érigens dixit: « In nómine sanctæ et indivíduæ Trinitátis, adiútus méritis sanctíssimi magístri nostri, sta sanus et incólumis! » Et contínuos sospitáti rédditus, rectíssime ante eum cœpit réddere, pèrgere, ac Deum voce exultatiónis benedicere. Duobúsque annis ac dimídio in contritióne spíritus et maceratióne córporis compléctis, dolor lateris eum invásit. Quo ingravescénte, ante altáre beáti Mártini super cilícium décubans, éxitum suum vivificórum sacramentórum perceptiόne munívit. Deínde feliciter ad

Dóminum migrávit, in quo loco multa mirácula Deus operátur ad láudem et glóriam nóminis sui. Tu autem.

**Homelia:** Vigiláte. **vel:** Ecce nos reliquimus ómnia. **Qære in commemoratione sancti Pauli.**

## IN FESTO SANCTI MARCELLI MARTYRIS

**Capitulum:** Beátus vir, qui in sapiéntia.

**Oratio**

**P**RECES pópuli tui, qæsumus Dómine, cleménter exáudi, ut beáti Marcélli mártiris tui atque pontíficis méritis adiuvémur, cuius passióne lætámur. Per.

**Historia de uno martyre.**

**Lectio prima**

**M**AXIMIÁNUS augústus præcépit, ut die processiónis suæ Cyriácus, ad exéplum Christianórum, nudus, cathénis obligátus, ante redam eius traherétur.

**Lectio secunda**

**I**N die autem processiónis suæ véniens, Marcellus, urbis Romæ epíscopus, óbtulit se Maximiáno augústo, dicens ei: « Pietáti tuæ súggero, servos Dei, qui orant pro regno tuo, et pro repúblicá, quare trucídas. » Tu autem.

**Lectio tertia**

**T**UNC irátus Maximiánus augústus, præcépit, ut fústibus cederétur, et expellerétur Marcéllus archiepíscopus. Post hæc Maximiánus augústus iussit omnes vinctos, qui erant in custódia, una cum Cyriáco cápite truncári. Quorum córpora collégit noctu Ioánnes présbyter, et sepelívit. Tu autem.

**Lectio quarta**

**P**OST dies octo, véniens beátus Marcéllus epíscopus, cum Lucína matróna Christianíssima, condívit córpora sanctorum cum aromátibus et lintheamínibus, et transtulérunt ea in prædium eius Ostiense, miliário séptimo ab urbe Roma, ubi requiésunt in sarcóphagis lapídeis, quos manu sua recóndidit beáta Lucína in pace, octávo die mensis augústi. Tu.

**Lectio quinta**

**E**ÓDEM témpore, beáta Lucína fecit donatívim de facultáte sua ecclésiæ cathólicæ. Hoc áudiens, Maximíanus augústus indignátus, proscriptióne eam damnávit. Beáta autem Lucína rogávit Marcéllum episcopum, ut domum eius ecclésiám consecráret, quod et cum omni diligéntia fecit beátus Marcéllus episcopus. Tu autem.

**Lectio sexta**

**A**T ubi frequénter in eádem domo missas celebráret in media via lata, iussit Augústus Marcéllum episcopum ad servítium animálium duci, cum custódia pública, ubi étiam post multos annos serviéndo, requiévit in pace. Tu autem.

**Homelia:** Nihil opertum, quod non revelétur.

## IN FESTO SANCTI SULPITII CONFESSORIS

**Capitulum:** Iustus cor suum.

**Oratio**

**P**RÆSTA nobis, qæsumus, omnípotens Deus, beáti Sulpítii confessorís tui atque pontíficis præcibus peccatórum indulgéntiam conséqui, et ab ómnibus noxiis incúrsibus liberári. Per.

**Lectio prima**

**B**EÁTUS Sulpítius claris paréntibus ortus, Bitúricæ urbis fuit pastor egrégius, et nunc glorióso excéssu efféctus est patrónus. Qui in flore primævæ ætátis, et in sæculári hábitu pósitus, cœpit claréscere signis, et virtútum miráculis divínitus adornári. Tu autem.

**Lectio secunda**

**B**EÁTO autem Austregísilo, Bitúricæ urbis antístite, migránte ad Dóminum, ex petitióne populórum fidélium, et consénsu Dotárii regis, beátus Sulpítius promotus est in eandem episcopátus sedem supradíctæ civitátis. Tu autem.

**Lectio tertia**

**C**UI venerábilis vir et Deo dignus, ut esset puritáte vitæ, et ánimæ virtútibus clarus, non honórem, sed onus pontificále nactus,

omnia ómnibus est efféctus, non quærens, quæ sibi útilia essent, sed quæ multis, ut salvi fierent, ágens quotidie prædicatióem et salutária sémina verbi Dei. Tu.

Lectio quarta

**N**AM dæmónes verbo fugábat, et ægros oratióne curábat, cæcis visum, surdis áuditum, mutis locutióem reddébat, vitam mortuis, mancis dextram, cláudis gressum restituébat, et ália quamplúra, quæ longum est enarráre per síngula. Tu autem.

Lectio quinta

**C**UM supradíctis virtútum beátus vir fúlgeret miráculis, beátæ consummatiónis gloriósum tempus ádvenit. Itaque plenus diérum, ætátis suæ témpore consummáto, meritórum spléndore corúscans, terréna terris membra comméndans, spíritum vero cæléstibus choris angelórum interésse conscéndit ad altum. Tu.

Lectio sexta

**T**ALEM antístitem urbs Bitúrica promérui, et patrónum se habére plebs univérsa congáudet, præstánte Dómino nostro, Iesu Christo, qui cum Patre et Spíritu Sancto vivit et regnat, Deus, per ómnia sácula sæculórum. Amen.

**Homelia:** Homo quidam pégre.

## IN SANCTI ANTONII CONFESSORIS

**Capitulum:** Diléctus Deo homínibus.

Oratio

**D**EUS, qui per gloriósi confessóris tui Antónii mérita, ignis invisíbilis ardórem extíngui voluísti, concéde propítius, ut eius méritis et intercessióne, ab ætérno incéndio liberémur. Per.

Lectio prima

**B**EÁTUS Antónius abbas cum esset in civitáte Patras, in monastério non valébat servítium Dei fácere, quómodo ipse cupiébat, quia ad se quotidie multas gentes sæculáres veníre vidébat, et cógitans et gemens in corde suo dixit. Tu autem

## Lectio secunda

«**F**RATRES, quid faciámus, quia contúrbant me cogitatiónes, quia non est hic locus quiétus, ut póssimus salváre ánimas nostras. » Hoc autem dicébat illis, quos sciébat in Dei amóre perféctos, et per síngulos dies hortabátur eos. Tu autem.

## Lectio tertia

**D**ICEBÁTQUE illis: « Quid faciémus? » Illi autem dicébant: « Quid tu iubes, pater? » Tunc sanctus Antónius dixit: « Veníte, recedámus de isto loco, et eámus in locum illum, ubi fidéliter et fírmiter Deo serviámus! » Illi autem, qui ánimo suo in timóre Dei pósiti erant, dixerunt: « Si sic opórtet fácere, non te derelinquámus, pater. » Tu autem.

## Lectio quarta

**T**UNC beátus Antónius dixit: « Fílii mei, vocávit nos Deus in órđinem monachórum et sacerdotum, sed tamen videámus, ne sit falsum in nobis huiúsmodi nomen, si secúndum scriptúras præcéptis Dei obcédire, et ea adimplére in ómnibus vólumus. » Tu.

## Lectio quinta

**C**UM autem sol ad occásus venísset, intravérunt ecclésiám, et cœpérunt laudes dícere Deo, sicut moris erat. Et cum complétum esset officium, et omnes quiéscerent in léctulis suis, ille prostrávit se in terram, déprecans Dóminum et dicens. Tu.

## Lectio sexta

«**D**EUS cæli et terræ, qui cunctórum es cógnitor, in cuius voluntáte cuncta sunt pósita, et non est, qui possit resistere voluntáti tuæ, qui révocas errántes, ut non péreant, custódi servos tuos, et osténde eis locum, in quo tibi mundo corde, et casto córpore serviámus, quia non est hic locus conversatiónis, nisi amatóribus huius sœculi. » Tu autem.

Homelia: Vigiláte.

## IN FESTO SANCTÆ PRISCÆ VIRGINIS

Capitulum: Confitébor.

## Oratio

**D**A, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beátæ Priscæ mártýris tuæ natalícia cólimus, et annua sollemnitate lætémur, et tantæ fidei proficiámus exémplo. Per.

## Lectio prima

**B**EÁTA Prisca, civis Romána, claríssimo patre nata, tempóribus Cláudii imperatóris, per martýrium meruit coronári. Hæc autem in décimo suæ anno ætátis, dum in ecclésia oráret, tenta est ab apparitóribus, et ad Cláudium festinánter addúcta. Cuius pulchritúdinem Cláudius veheménter admírans ait: « Magnus es, deus Appóllo et gloriósus, qui hanc vírginem, génere præcláram, vultu decóram, mente serénam composuísti. » Et hæc dicens, interrogávit eam de cultu, et de religióne deórum suórum. Cui beáta Prisca ait: « Ego quotidie sine ságuine ímmolo Deo. » Imperátor hæc audiens, et quæ díxerat, non intélligens, iussit eam in templum Appóllinis íngredi, ut ei sacrificiórum foeditátem offérret. Cumque imperátor et copiósa multitúdo páriter introíssent, et quæ ab ea fieri sperábant, attentius expectárent, beáta Prisca dixit: « Glória tibi Pater glorióse, te ínvoco, te déprecor, præcipita hoc simulácrum immúndum, ut cognóscat imperátor iste, quia non debémus adoráre, nisi Te solum. » Hæc ea oránte, statim terræmótus factus est magnus, et cívitas concússa est, et Appóllo cecidit, et comminútus est, et quarta pars templi ruit, et opréssit paganórum multitúdinem, cum sacerdotibus idolórum. Tu autem.

## Lectio secunda

**P**AVEFÁCTUS imperátor, fugam arrípuit. Et intélligens, quod per divínam poténtiam idólum est comminútum, iussit a lapis faciem eius cedi. Et cum cederétur, deficiébant cedentés. Sancta vero Prisca respiciens in cælum dixit. « Benedíctus es, Dómine Iesu Christe, qui ætérnam grátiam das eis, qui in te credunt. » Et ecce, lumen spléndidum circúmdedit eam, et venit vox de cælo, confórtans eam. His dictis, imperátor amens factus, præcipit eam usque in crástinum custodíri. Alio vero die iussit imperátor eam sibi íterum exhibéri, cui dixit: « Consénti mihi, et sacrificia diis! » At illa respóndit: « Cessa hóminum sceleratissime mihi tália dícere! Non erubéscis a puélla superári, et magis conculcári, cum me mínime potes inclináre ad sacrificándum idólis? » Tunc imperátor iussit eam exspoliári, et íterum cedi. Beáta Prisca cum cederétur, dicébat: « Voce

mea ad Dóminum clamávi, et exaudivit me in certámine passiónis meæ. » Tu.

#### Lectio tertia

**I**MPERÁTOR áudiens, irátus est, et iussit eam ámplius cedi. Sancta vero superpellícia sibi illáta, deridébat dicens: « Inimíce Dei, et scrutátor malórum, non sentis benefícia, quæ ab ætérno conditóre mihi præstántur? » Eumeníus quidam dives valde, consanguíneus imperatóris, videns corpus beátæ Priscæ, quod non verbéribus líveret, sed splénderet, sicut nix, ita, ut vix posset ipsíus respícere humánus aspéctus. Dixit imperatóri: « Iúbeat sublímities vestra istam sacrílegam hódie in cárcerem trudi, et cras pinguédine ádipum fervefácta perúngi, et sic ipsíus córporis inquinábimus claritátem. » Dedúcta ítaque in cárcerem virgo sanctíssima, voce magna clamávit: « Custódi me, Dómine a nequíssimo príncipe, qui tuam bonitátem pro níhilo cómputat. » Per totam autem noctem hymnum canébat beáta Prisca, et glorificábat Deum. Voces autem multórum virórum audiebántur, et glorificántium Deum cum ipsa. Tu autem.

#### Lectio quarta

**M**ANE vero eiécta de cárcere, fervéntibus adípibus, et pinquédine est perúncta, sed in Dómino confortáta, vinci omníno non pótuit. Eumeníus discens, quómodo Christi virgo in cárcere angélica fúerat visitatióne consoláta, et videns illam passiónes læto ánimo toleráre, cursu cóncito pergens, univérsa Cláudio per órđinem narrávit. Et præsentáta imperatóri, iubétur íterum ingrédire templum, et sacrificia offérre. Ingréssa autem beáta Prisca templum, fecit sibi signum crucis Christi. Et oránte ea ad Dóminum, mox tonítuum factum est magnum. Et cécidit ignis de cælo, et combússit circumstántis pópuli multitudínem, et púrpura imperatóris a parte dextra combústa est, et idólum in favíllam redáctum. Et irátus imperátor, non consíderans virtúte invisíbilis Dei, dixit ad præfécum: « Accipe hanc magam, et cum uncis férreis acútis totum corpus eius fácias dissipári, quátenus cito lucem huius sæculi derelínquat. Ego enim valde mæróre sum plenus, et quid fáciam, néscio. » Præfécus ítaque suscípiens eam, mox ambulávit ad prætóríum. Et sedens pro tribunáli, præcépit introdúci beátam Priscam. Cui et dixit: « Dóminus meus imperátor trádidit te mihi, ut aut sacrifices, aut pœnis intéreas. » Beáta Prisca dixit: « Ego non sacrífico, nisi Dómino Iesu Christo, exerce in me pœna, quam vis. Tu.

## Lectio quinta

**T**UNC præfæctus iussit eam extēdi, et cum spatīs membra eius incidi. Cum autem inciderētur, clamábat dicens: « Dómine Iesu Christe, ádiuva me, quia ad te confúgi. » Et hæc dicens, de mandáto præfæcti ingrēssa est in amphitheátrum. Dimíssæ sunt autem ei ferocíssimæ béstiæ, quæ sanctæ vírgini oránti, magis mansuetúdinem, quam ferocitátem exhibuérunt. Tunc iussit eam Cláudius suspēdi, et úngulis radi. Carnífices autem, tándiu carnes eius rasérunt, donec ad ossa pertíngerent. Beáta Prisca inter ipsa torménta exclamávit ad Dóminum, et statim bráchia eórum, qui eam cruciábant, indoluérunt, et a torméntis cessavérunt gráviter cruciáti. Imperátor autem fremens, iussit eam igne consúmmit. Ministri itaque accendérunt ignem copiósum, et beátam Priscam in médium proiecérent. Sed mox plúvia magna facta est, et sónitus venti, quæ univérsum ignem pénitus extinxérunt. Et irátus imperátor, comam cápitis eius radi præcépit, in quæ credébat mágicam artem consistere. Beáta Prisca in illa hora dixit ad Cláudium: « Comam cápitis mei, quam dedit mihi Deus amputásti, áuferat Deus omne regnum tuum. » Post hæc imperátor cláusit in templo eam, et iánuas templi ánulo suo signávit, ut ibi famæ defíceret. Sed Deus omnípotens ancillam suam non déserens, eam et angélico solátio relevávit, et idólum, quod erat in templo sua virtúte eiécit. Tu autem.

## Lectio sexta

**D**IE autem tértia, ingrēssus imperátor in templum, ut vidit simulácrum deiéctum et comminútum, nimis irátus, iussit eam cápite puníri. Edúcta autem via Ostiēsi, milliário décimo ab Urbe, ibi decolláta est. Cuius corpus Christiáni occúlte tulérunt, et ibídem facto sepúlchro, sepeleérunt. Complétum est autem martýrium sanctæ Priscæ vírginis octavodécimo die mensis Ianuárii. Post non multum tempus illic fabricáta est ecclésia, et ibi fidéles Dómino serviérunt. Póstea vero labéntibus annis, Eleuthérius, urbis Romæ epíscopus, sicut ei per revelatiónem osténsus fúerat, sústulit corpus sanctæ Priscæ vírginis et mártiris, et cum multítudine cleri et pópuli honorífice ad urbem Romam perdúxit, et iuxta arcum Románum, in ecclésia sanctorum Aquilæ et Priscæ, in pulchro sarcóphago sepeleívit. Ad láudem Dómini nostri Iesu Christi, qui vivit et regnat in sæcula sæculórum amen. Tu.

**Homélia:** Símile est regnum cælórum decem vírginibus.



## IN FESTO SANCTI MARIi MARTYRIS

**Capitulum:** Iustórum ánimæ.

**Oratio**

**E**XÁUDI, Dómine, pópulum tuum, cum sanctórum tuórum tibi patrocínio supplicántem, ut et temporális vitæ nos tríbuas pace gaudére, et ætérnæ reperíre subsidiúm. Per.

**Lectio prima**

**T**EMPÓRIBUS Cláudii venit quidam vir de Pérside pártibus ad oratiónem apostolórum, nomine Márius, cum uxóre sua Martha, et duóbus filiis, Audifax et Abacuch. Veniéntes autem Romam, cœpérunt córpora sanctórum per cárceres et sepultúras conquírerere. Et dum frequénter sollícite et curióse quærerent, veniéntes in castrum trans Tíberim, invenérunt ibi intra cárcerem hómínem venerábilem, nómine Quírinum, qui iam multa vérbera pro nómine Christi perpéssus fúerat, et facultáte sua nudátus. Ad quem veniéntes, misérunt se ad pedes eius Marius et Martha, uxor eius, cum duóbus filiis, Audifax et Abacuch, peténtes, ut oráret pro eis. Et mansérunt ibi dies octo. Et cœpérunt de facultátibus suis ministráre beáto Quíрино, et laváre pedes eórum, qui in vínculis erant constricti, et in cápita sua vel filiórum suórum aquam effúndere. Tu autem.

**Lectio secunda**

**E**ÓDEM témpore, iussit Cláudius, ut si qui Christiáni invénti fuíssent, vel in vulgo, vel in custódia, sine interrogatióne puniréntur. Cum autem multos cæpísset, inter cæteros ténuit Márium, Martham, Audifax et Abacuch, quos iussit suis aspéctibus præsentári. Et cum præsentáti fuíssent, áestimans Cláudius, quod pecúnia cumuláti fuíssent, sic eos aggréditur dicens: « Unde estis? » Respóndit Audifax, fílius eórum maior, et dixit: « De Pérsida. » Cláudius dixit: « Quam generositátem inter vos convértitis? » Respóndit Audifax: « Ego et Abacuch quantum in carne fílii eórum sumus. » Tu autem.

**Lectio tertia**

**R**ESPONDÉRUNT Márius et Martha dicéntes: « Deus omnípotens novit, nobíliter nati sumus ex omni generatióne. Nam ut scias, nos nóbiles esse, ego sum fílius imperatóris Maroméni, et hæc filia est Cusínitis subréguli. Isti autem fílii nostri sunt. » Cláudius dixit:

« Et quare iudícium paréntum vestrórum non sequímini, ut adorétis deos, quos patres vestri coluérunt, et hóminem mórtuum non querátis? » Respóndit Márius: « Nos fámuli Christi, servos et apóstolos eius vénimus exoráre, ut ipsi pro nobis interveníre dignéntur. » Cláudius áudiens hunc sermónem, irátus est, et trádedit eos Musciáno vicáριο dicens: « Si non sacrificáverint et reliquerint superstitiónem hanc, diversa in eos torménta exérce! » Tu.

#### Lectio quarta

**E**ÁDEM die, Musciánus iussit sibi in tellúre grémium parári, et ómnia génera tormentórum deférri. Et cum addúcti fuissent sancti in conspéctu eius, furóre replétus dixit: « Intimátum est vobis, quod iussérunt príncipes nostri? » Respóndit Audifax: « Nescimus. » Musciánus vicárius dixit: « Ergo vultis scire decretum? » Respondérunt Márius et Martha: « Desiderámus scire, quod tibi iussum est. » Musciánus vicárius dixit: « Deferántur torménta. » At ubi alláta sunt, dixit: « Omnia génera tormentórum in vobis expendéntur. Quápropter accédite, et sacrificáte diis, et estóte amíci príncipum. » Respóndit Audifax, fílius eórum maior: « Stultam rem locútus es! » Dixit Musciánus ad Márium et Martham et Abacuch: « Vos quid dicitis? » Respondérunt: « Omnes, quasi ex uno ore locúti sumus. » Tu autem.

#### Lectio quinta

**T**UNC Musciánus vicárius iussit eos exspoliári, et fústibus cedi, Martham vero stare ante eos. Et cum cederéntur, sub voce præcónia dicénte: « Præcépta príncipum contémnere nolíte! » Martha dicébat: « Fílii mei constántes estóte! » Márius vero laudábat Dóminum dicens: « Glória tibi, Dómine Iesu Christe. » Musciánus vicárius iussit eos ecúleo suspéndi. Cumque attraheréntur canapíneis fúnibus, clamábat Audifax, fílius maior: « Glória tibi Dómine, Iesu Christe, qui dignátus es connumeráre nos cum sevis tuis. » Irátus Musciánus, iussit ignem ad látera eórum poni, et eos úngulis férreis radi. Illi autem læti clamábant: « Grátias tibi ágimus, Dómine! » Musciánus iussit eos depóni, et in conspéctu Marthæ manus eórum præcídi. Et cum præcisæ fuissent manus eórum, cœpit sanguis emanáre. Martha vero cólligens sánguinem maríti et filiórum, caput suum et fáciem liniébat cum gáudio. Tu autem.

## Lectio sexta

**T**UNC iussit, ut mánibus ad colla ligátis, sic per civitátem cúrrere, voce præcónia dicénte: « Deos blasphemáre nólite! » Clamábat Márius, Audifax et Abacuch: « Non sunt dii, sed dæmónes, qui vos pèrdere habent, et princípem vestrum. » Eódem die dedit senténtiam, ut decollaréntur. Qui ducti via Cornélia, milliário tertiodécimo ad Nymphas cathabássi, in eódem loco decolláti sunt Márius, Audifax et Abacuch. Martham vero in Nympha necári præcépit, quorum córpora íterum iussit, ne sepultúram habérent. Matróna vero, nómine Felicitas, rápuit córpora eórum semiústa, et in prædio suo sepelívit, Martham vero levávit de púteo, et iunxit corpóribus sanctis, sub die tertiodécimo kalendárum Februárium, ubi præstántur benefícia Dómini nostri, Iesu Christi, usque in hodiérnum diem. Tu.

**Homéla:** Cum audiéritis.

## IN FESTO SANCTORUM FABIANI ET SEBASTIANI ad vespas

## Antiphona



**E**légit Dóminus virum de plebe, et claritátem visi6nis ætérnæ dedit illi, celebrémus sollemnitátem sancti Sebastiáni mártiris. **Ps.** Laudáte, púeri Dóminum.

**Capitulum:** Sancti per fidem.

## Responsorium



**E**grégie Dei martyr Sebastiáne, princeps ac propagátor sanctissimórum præceptórum, ecce nomen tuum in libro vitæ cæléstis ascríptum est, \* et memoriále tuum non derelinquétur in

sæcula. **V.** Sócios enim factus es supernárum virtútum, quæ in cælis spíritum tuum suscepérunt. **Et** memoriále.

**Hymnus:** Sanctórum méritis. **Versiculus:** Lætámini in Dómino.

**Ad Magnificat antiphona**



**Ut** vidit beátus SebastiánuS, athléta Dei, imménso certáminis póndere fatigári, dixit: O, fortíssimi mílites Christi, nolíte per mísera blandiménta corónam depónere sempitérnam.

**Oratio**

**I**NFIRMITÁTEM nostram réspice, omnípotens Deus, et quia pondus própriæ actiónis gravat, beáti Fabiáni mártiris tui, atque pontíficis intercésio gloriósa nos prótegat. Per.

**Alia oratio invícem dicúntur**

**D**EUS, qui beátum Sebastiánum, mártirem tuum, virtúte constántiæ in passióne roborásti, ex eius nobis imitatióne tríbue pro amóre própsera mundi despícere, et nulla eius advérSa formidáre. Per.

## Ad matutinas

**Invitatorium:** Regem mártirum Dóminum. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

**Antiphona**



SebastiánuS, Mediolanénsium pártium civis, quem perfúderat Deus grátia, ut ab ómnibus amarétur. **Ps.** Beátus vir.

## Antiphona



Erat enim in sermone verax, in iudicio iustus. **Ps.** Quare fremuerunt gentes.

## Antiphona



Christo quotidie sedulum exhibebat officium, erat enim verus Dei cultor. **Ps.** Cum invocarem.

**Versiculus:** Laetamini in Domino.

## Lectio prima

**I**N diebus illis, Sebastianus vir Christianissimus, Mediolanensium partium civis, Diocletiano et Maximiano imperatoribus ita carus erat, ut principatum ei primae cohortis traderent, et suo eum conspectui iubere semper astare. Erat enim vir totius prudentiae, in sermone verax, in iudicio iustus, in consilio providus, in commisso fidelis, in interventu strenuus, in bonitate conspicuus, in universa morum honestate praeclarus. Hunc milites ac si patrem venerabantur. Hunc universi, qui praeerant palatio, carissimo venerabantur affectu. Erat enim verus Dei cultor. Et necesse erat, ut quem Deus perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Tu.

## Responsorium



Sebastianus, Dei cultor, studiose curabat sub absconso clamydis sanctorum animas confortare, \* spem promittens, et gloriam consequi sempiternam. **V.** Erat enim in sermone verax, in iudicio iustus. **S**pem promittens.

## Lectio secunda

**C**HRISTO igitur quotidie sedulum exhibebat officium, sed agebat, quatenus hoc sacrilegis regibus essent occultum, non passionis timore perterritus, nec patrimonii sui amore astrictus, sed ad hoc tantum sub clamyde terreni imperii Christi militem tegebat absconditum, ut Christianorum animas, quas inter tormenta videbat

deficere, confortáret, et Deo rédderet ánimas, quas diábolus conabátur auferre. Dénique postquam multas mártýrum mentes a timóre passiónis erípuit, et ad corónam perpétue glóriæ incitávit, ipse quoque, quis esset, apparuit, quia lumen látere in ténebris non pótuit. Claríssimis ígitur viris, Marcelliáno et Marco, duóbus géminis frátribus pro Christi nómine in vínculis constitútis, quotidie solátium exhibébat, et tam ipsis, quam étiam servis eórum cum quibus tenti fúerant, salutária fidei consília ministrábat, quibus fugitíva sæculi blandiménta respuerent, et momentánea tormentórum génerea non timérent. Tu autem.

**Responsorium**



**S**ebastiánus, vir Christianíssimus, quem occultábat militáris hábitus, \* et clámydis suæ obumbrábat aspéctus. **V.** Quem perfúderat Deus grátia, ab ómnibus amabátur. **Et** clámydis.

**Lectio tertia**

**Q**UI cum beatíssimus consolatióibus acquiescerent, et vérbera carníficum ánimo perseveránti transírent, capitálem iussi sunt subíre senténtiam, ea scílicet ratióne, ut sit eódem moménto, quo decollándi erant, sacrificiis consensísset, et paréntibus suis, et coniúgibus, et filiis, et facultátibus redderéntur. Erant enim non solum, ut díximus, claríssimi viri, sed et facultátibus dilatáti. Quorum erat pater Tranquíllinus nómine, et Márcia mater vocabátur, qui illos sequebántur cum uxóribus et filiis eórum, nímio enim in suis nepótibus ducebántur afféctu. Unde factum est, ut ab Egréstio, urbis Romæ præfécto, trigínta diérum indútias impetrárent, in quorum spátio agerétur cum eis, quátenus ad thurificándum idólis consentírent. Tu autem.

**Responsorium**



**E**rat namque in sermóne verax, in iudício iustus, in consílio próvidus, in bonitáte conspicuus, \* in univérsa morum honestáte præclárus. **V.** In commisso quoque fidélis, in intervéntu strénuus. **In** univérsa.

## In secundo nocturno

### Antiphona



Ad hoc tantum sub clámyde Christi mílitem agébat absconditum, ut Deo rédderet ánimas, quas diábolus conabátur auférre. **Ps.** Verba mea.

### Antiphona



Sebastiánus, vir Christianíssimus, quem occultábat militáris hábitus, et clámydis suæ obumbrábat aspéctus. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

### Antiphona



Claríssimis quotidie viris, Marcelliáno et Marco suadébat sáeculi blandiménta respuére, et momentánea tormentórum génera non timére. **Ps.** Dómine, quis hábitabit.

**Versiculus:** Exúltet iusti in conspéctu.

### Lectio quarta

**Q**UIA ígitur multum si vélimus proséqui, quæ et quanta per mílitem suum Sebastiánum fécerit Dóminus Christus, quáliter ad palmam martýrii pervénerit, tantúmmodo explicémus. Cum ergo esset cógnitus Christi miles digníssimus, qui ante sub clámyde latúerat, tectus suggéssit de eo Fabiánus, præféctus Diocletiáno imperatóri. Quem Diocletiánus ad se vocans ait. « Ego te inter primos in palátio meo semper hábui, et tu contra salútem meam, et in deórum iniúriam háctenus latuísti? » Cui Sebastiánus dixit: « Pro salúte tua semper Christum cólui, et pro statu urbis Románæ illum, qui in cælis est, semper adorávi. Considerábam enim auxiliúm a lapídibus péttere, insáni cápitis esse et vani. » Irátus Diocletiánus, iussit beátum Sebastiánum duci in campum, et ligári, quasi signum ad sagittándum. Iussitque, ut sagittárii in eum irrúerent. Tu autem.

## Responsorium



Christo quotidie sédulum exhibébat officium, \* ut Christianórum ánimas, quas in torméntis vidébat defícere, confortáret. **V.** Ad hoc tantum sub clámyde terréni impérii Christi mílitem agébat absconditum. **Ut** Christianórum.

## Lectio quinta

**T**UNC posuerunt eum mílites in medio campo, et hic inde ita repleverunt eum sagíttis, ut quasi erícus, ita esset ínsitus sagittárum íctibus. Æstimántes autem illum mórtuum abiérunt. Tunc relicta matris Cástuli, Zechárii uxor, nómine Heréna, ábiit, ut nocte corpus eius tólleret, et sepelíret. Et invéniens eum vivum, duxit ad suam domum, ubi manébat intra palátium. Ibi ergo infra páucos dies in ómnibus membris recuperávit integérrimam salútem. Itaque cum omnes Christiáni ad beátum Sebastíánum convenírent, hortabántur eum inde abscedere. Ille autem oratióne facta, éxiit, et dum veniéntes imperatóres transírent, dixit: « Iniquíssimis surreptiόνibus ánimas impérii vestri templórum pontífices óbsident, suggeréntes de Christiánis falsa comménta, dicéntes eos reipublicæ adversári, quorum oratióne ipsa respública meliorátur et crescit, qui pro império vestro et pro salúte Románi exércitus oráre non cessant. » Tu autem.

## Responsorium



Zoe, uxor Nicostráti, dixit beáto Sebastíano: Beátus es tu, et benedíctus sermo oris tui, \* per Iesum Christum, Dóminum nostrum. **V.** Benedícti, qui in ómnibus, quæ locútus es, credunt. **Per** Iesum.

## Lectio sexta

**C**UM hæc et tália diceret, Diocletíanus ait: « Iste ne es Sebastíanus, quem dudum sagíttis iusserámus interfíci? » Sebastíanus dixit: « Ad hoc me Dóminus meus, Iesus Christus, resuscitáre dignátus est, ut convéniam, et contéster vos coram omni pópulo, iniústo iudicio persecutióne vestram in Christi fámulos ebullíre. » Iussit ergo



Diocletianus beatum Sebastianum in hypodromum palatii duci, et tandem fustigari, quamdiu spiritum ex[h]alaret. Quod cum fecissent, tulerunt corpus eius nocte, et in cloacam magnam miserunt, dicentes: ne forte Christiani eum sibi martyrem faciant. Sed beatus Sebastianus apparuit in somnis sanctae Lucinae, matronae religiosissimae, dicens ei: « In cloaca, quae est iuxta, circumquaque quaere, et ibi invenies corpus meum, pendens in unco. Hoc, cum tu leveris, perduces ad cathacumbas, et sepelies me in initio cryptae, iuxta vestigia apostolorum. » Tunc beata Lucina cum servis suis medio nocte abiit, et levans eum, perduxit ad locum, ubi ipse imperaverat, et cum omni diligentia sepelivit. Ipsa autem sancta Lucina per triginta dies a supradicto sancto loco non discessit. Post aliquot annos pax Ecclesiae est reddita. Statimque, ut Ecclesia gloriam pacis accepit, iam dicta matrona domum suam fecit ecclesiam. Cui omnes opes suas derelinquens, fecit ipsam Ecclesiam haerodem in Christo Iesu, Domino nostro, qui est benedictus in saecula saeculorum amen. Tu autem.

#### Responsorium



**E**grégie Dei mártyr, Sebastiáné, princeps ac propagátor sanctissimórum páceptórum, ecce, nomen tuum in libro vitæ cælestis ascriptum est, \* et memoriále tuum non derelinquétur in saecula. **V.** Sócius enim factus es supernárum virtútum, quæ et in cælis spíritum tuum suscepérunt. **Et** memoriále.

## In tertio nocturno

#### Antiphona



**S**ebastiánus dixit Marcelliano et Marco: Non vos sedúcant blandiménta muliérum. **Ps.** Consérva me, Dómine.

## Antiphona



**N**olíte timére, non separabúntur a vobis, sed vadunt in cælum, paráre vobis sídreas mansiónes. **Ps.** Dómini est terra, et plenitúdo.

## Antiphona



**S**ebastiánus dixit ad Nicostrátum: Salvátor noster pro peccatóribus dignátus est suam exhibére præsentiam. **Ps.** Beáti, quorum remissæ.

**Versiculus:** Iusti autem in perpétuum. **Homélia:** Descéndens Iesus.

## Responsorium



**E**légit Dóminus virum de plebe, et claritátem visiónis æternæ dedit illi, celebrémus sollemnitátem sancti Sebastiáni mártiris. \* Gáudium sit in cælo et in terra, pax homínibus bonæ voluntátis. **V.** Beátus es, et bene tibi erit, egrégie Dei martyr, Sebastiáne. **G**áudium.

## Responsorium



**I**n isto loco promíssio vera est, et peccatórum remíssio splendor et lux perpétua, et sine fine lætítia, \* quam mérui Christi mártir, Sebastiánus. **V.** Nolíte timére, non separabúntur a vobis, sed vadunt in cælum, paráre vobis sídreas mansiónes. **Q**uam mérui.

## Responsorium



**B**eátus es tu, et bene tibi erit, egrégie martyr Sebastiáne, \* quia cum sanctis gaudébis, et cum ángelis exultábis in ætérnum. **V.** Beátus es Christi martyr, Sebastiáne, et benedíctus sermo oris tui. **Q**uia.

## Ad Laudes

### Antiphona



**S**ebastiánus, Dei cultor, studiósē curábat sub abscónso clámydis sanctorum ánimas confortáre, spem promíttens et glóriam conséqui sempitérnam. **Ps.** Dóminus regnávít.

### Antiphona



**S**i ego verus Christi servus sum, et si vera sunt hæc ómnia, quæ ex ore meo hæc mulier audívit, et crédidit, apériat os eius, qui apérui os Zacháriæ, prophétæ Dómini.

### Antiphona



**A**d hanc vocem Christi mártiris Sebastiáni, illico apértum est os uxóris Nicostráti.

### Antiphona



**Z**oe, uxor Nicostráti dixit beáto Sebastiáno: Beátus es tu, et benedíctus sermo oris tui.

### Antiphona



**M**ultitúdo languéntium veniébat ad eum, et sanabántur omnes, allelúia.

**Capitulum ut supra.** **Hymnus:** Rex glorióse mártyrum. **Versiculus:** Iustórum animæ.

Ad Benedictus anifona



**B**eátus es, et bene tibi erit, egrégie Dei mártyr Sebastiáne, quia cum sanctis gaudébis, et cum ángelis exultábis in aetérnum.

Orationes ut supra.

## Ad secundas vespas

**Antiphona** Sebastiánus Dei cultor. **Ps. de martyribus.** **Capitulum:** Sancti per fidem. **Responsorium:** Beátus es tu. **Hymnus:** Sanctórum méritis. **Versiculus:** Lætámini in Dómino.

Ad Magnificat antiphona



**E**grégie Dei martyr, Sebastiáne, princeps ac propagátor sanctissimórum præceptorum, ecce, nomen tuum in libro vitæ cæléstis ascriptum est, et memoriále tuum non derelinquétur in sáecula.

**Oratio:** Deus, qui beátum Sebastiánum. **Ista oratio dicitur tantum.**

## IN FESTO SANCTÆ AGNETIS VIRGINIS ad vespas

**Antiphona:** Veni, elécta mea. **Ps.** Laudáte, púeri Dóminum. **Capitulum:** Confitébor tibi.

**Responsorium**



**P**ulchra fácie, sed púlchrior fide, beáta es Agnes, réspuens mundum, lætáberis cum ángelis, \* intercède pro ómnibus nobis. **V.** Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, próspere, procède et regna. **I**ntercède.

**Hymnus:** Virginis proles. **Versiculus:** Spécie tua et.

**Ad Magnificat antiphona**



**Christi** virgo nec terróre concútitur, nec blandiménto sedúcitur.

**Oratio**

**O**MNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui infírma mundi elígis, ut fórtia quæque confúndas, concéde propítius, ut qui beátæ Agnétis vírginis et mártýris tuæ sollémnia cólimus, eius apud te patrocínia sentiámus. Per.

## Ad matutinas

**Invitorium**



**Agnum**, sponsum vírginum, \* veníte adorémus Dóminum Iesum Christum. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

**Antiphona**



**Discéde** a me pábulum mortis, quia iam ab alio amatóre prævénta sum. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

**Antiphona**



**Déxteram** meam et collum meum cinxit lapídibus præciósis, trádidit áuribus meis inæstimábiles margarítas. **Ps.** Cæli enárrant.

## Antiphona



**P**ósuit signum in fáciem meam, ut nullum præter eum amatórem admíttam. **Ps.** Dómini est terra.

**Versiculus:** Spécie tua.

## Lectio prima

**A**MBRÓSIUS, servus Christi, vírgínibus sacrís, diem festum sacræ vírginis celebrántes. Hinc psalmi résonent, inde cóncrepent lectiões. Hinc populórum turba lætétur, inde sustenténtur páuperes Christi. Omnes ergo gloriémur in Dómino, et ad ædificatióem vírginum, quáliter passa sit beatíssima Agnes, ad memóriam revocémus. Tertiodécimo ætátis suæ anno, mortem pérdidit, et vitam invénit, quia solum vitæ diléxit auctórem. Computabátur in annis infántia, sed erat senéctus mentis imménsa. Córpore quidem iuvéncula, sed ánimo cana. Pulchra fácie, sed púlchrior fide. Quæ, dum a scholis reverterétur, a præfécti urbis filio adamátur. Cúius paréntes, dum requisisset et invenisset, cœpit offérre plúrima, et amplióra promíttre. Dénique tulit secum præciósa ornáméta, quæ a beáta Agnéte, véluti quædam sunt stércora reputáta. Tu autem.

## Responsorium



**D**iem festum sacratíssimæ vírginis celebrémus, quáliter passa sit beáta Agnes, ad memóriam revocémus, tertiodécimo ætátis suæ anno mortem pérdidit, et vitam invénit, \* quia solum vitæ diléxit auctórem. **V.** Ingréssa Agnes turpitúdinis locum, ángelum Dómini præparátum invénit. **Q**uia solum.

## Lectio secunda

**U**NDE factum est, ut iúvenis maióri urgerétur stímulo, et putans eam melióra accíperere velle ornáméta. Omnem lápidum præciósum secum defert glóriam, et per seípsum et per amícos et notos et affínes cœpit áures vírginis appelláre: divítias, domos, possessiões, famílias, atque omnes mundi delítias repromíttre, si consénsu suum eius coniúgio non negáret. Ad hæc beáta Agnes tale fertur invéni dedísse respónsum: « Discéde a me, fomes peccáti,

nutriméntum facinióris, pábulum mortis. Discéde a me, quia iam ab álío amatóre prævénta sum, qui mihi satis melióra te óbtulit ornáménta, et ánulo fídei suæ subarrávit me. Longe te nobílior, et génere, et dignitáte. Ornávit inæstimábili dextro chírio dextram meam, et collum meum cinxit [1]apídibus præciósis, trádedit áuribus meis inæstimábiles margarítas, et circúmdedit me vernántibus atque coruscántibus gemmis. Pósuit signum suum in fáciem meam, ut nullum præter ipsum álíum amatórem admíttam ad me. Induit me cycláde áuro texta, et imménsis monílibus ornávit me. Osténdit mihi thesáuros incomparábiles, quos mihi se datúrum, si ei perseverávero, repromísit. Non ergo pótero ad contuméliam prióris amatóris, vel aspícere álíum, et illum relínquere, cum quo sum devíncta caritaté. Cuius est generósitas célsior, possíbilis fórtior, aspéctus púlchrior, amor suávior, et omni grátia elegántior, a quo mihi iam thálamus collocátus est. Cuius mihi órgana modulátis vóciibus sonent, cuius mihi vírgines iustíssimis vóciibus cantant. » Tu autem.

#### Responsorium



**D**extram meam et collum meum cinxit lapídibus pretiósus, trádedit áuribus meis inæstimábiles margarítas, \* et circúmdedit me vernántibus atque coruscántibus gemmis. **V.** Induit me Dóminus cycláde auro texta, et imménsis monílibus ornávit me. **E**t circúmdedit.

#### Lectio tertia

**V**IDENS itaque Symphrónius tantam in puélla constántiam, parentes eius allóquitur, et quia erant nóbiles, et vim eis inférre non póterat, título eis Christianitátis oppósuit. Sequénti namque die Agnem sibi præsentári iubet, et íterum iterúmque répetens replicáre cœpit de iúvenis amóre sermónem. Cumque omnis sermo eius casso labóre déficeret, sisti eam suis íterum tribunálibus fecit, cui et dixit: « Superstítio Christianórum, de quorum te mágicis ártibus iactas, nisi a te fúerit segregáta, non póteris infámiam ábiícere péctoris tui, neque æquíssimis consíliis præbere consénsus. Unde ad venerándam deam Vestam te præparáre necesse est, ut cui perseverántia virginitátis pláceret, eius die noctúque sacrificiis venerándis insístas. » Ad hæc beáta Agnes respóndit: « Si filium tuum quisquis iníquo amóre vexátum, tamen vivéntem hómínem

recusávi, hóminem útique, qui es ratiónis capax, qui et audíre, et vidére, et palpáre, et ambuláre potest, et fulgóre lucis huius cum bonis pérfrui, si ergo hunc cáusa amóris Christi nulla possum ratióne respícere, quómodo possum idóla muta et surda, et sine sensu, et sine ánima cólere, et ad iniúriam summi Dei cervíces meas vanis lápidibus inclináre? » Audiens hæc Symprónius præfectus, dixit: « Cúpio præbere consúltum infántiæ tuæ, et adhuc te deos blasphemántem, idcírco díffero, quia annos tuos infra sensum áspicio, noli ergo temetípsam ita decípere, ut motus deórum incúrras. » Tu autem.

### Responsorium



**A**mo Christum, in cuius thálamum introívi, cuius mater virgo est, cuius pater féminam nescit, cuius mihi órganum modulátis vóci-bus cantat, \* quem cum amávero, casta sum, cum tetígero, munda sum, cum accépero, virgo sum. **V.** Mel et lac ex eius ore suscépi, et sanguis eius ornávit genas meas. **Q**uem.

## In secundo nocturno

### Antiphona



**I**nduit me Dóminus cycláde auro texta, et imménsis monílibus ornávit me. **Ps.** Eructávit cor meum.

### Antiphona



**M**el et lac ex eius ore suscépi, et sanguis eius ornávit genas meas. **Ps.** Deus noster refúgium.



## Antiphona



Cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur, ipsi soli servo fidem. **Ps.**  
Fundamenta.

**Versiculus:** Diffúsa est grátia.

## Lectio quarta

**B**EÁTA Agnes dixit: «Noli infántiam corporálem ita in me despícere, ut putes me te velle hábere propítium. Fides enim non in annis, sed in sénsibus géritur. Et Deus omnípotens mentes magis probat, quam aétates. Deos autem tuos, quorum motus me incúrrere non vis, ipsos irásci permítte, et ipsos loqui, ipsi hoc mihi præcípiant, ipsi iúbeant se coli, et adorári. Verum quia te ad hoc vídeo téndere, quod impetráre non póteris, quidquid tibi vidétur, exérce.» Ad hæc insánus iudex iussit eam exspoliári, et nudam ad lúpanar duci, sub præcónis voce dicéntis: «Agnem, sacrílegam vírginem, diis blasphemíam inferéntem, scortum, lupanáribus datam.» Statim autem, ut exspoliáta est, crine solúto, tantam densitátem capíllis eius grátia divína concéssit, ut mélius eórum fímbris viderétur, quam véstibus tecta. Ingréssa autem turpitédinis locum, ángelum illic Dei ita parátum invénit, ut circumdáret eam imménso lúmíne, ut nullus posset eam præ splendóre nec contíngere, nec vidére. Fulgébat autem tota cella illa, quasi rádians sol in virtúte sua, et quanto quis curiósior esse óculis volúisset, tanto sui visus áciem obtundébat. Cumque se in oratióne Dómino substravísset, apparuit ante óculos eius stola candidíssima, et apprehéndens eam, índuit se, et dixit: «Grátias ago tibi, Dómine, Iesu Christe, qui me in número ancillárum tuárum cómputans, vestem mihi hanc largíri percepísti.» Ita namque ad mensúram corpúsculi eius aptátum est indumentum, et ita nímio candóre conspicuum, ut nullus dubitáret hoc, nisi mánibus angélicis præparátum. Tu autem.

## Responsorium



Ipsi sum desponsáta, cui ángeli sérvíunt, cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur, \* ipsi soli servo fidem, ipsi me tota devotióne

commítto. **V.** Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam. **Ipsi soli.**

**Lectio quinta**

**I**NTÉREA lúpanar locus effícitur oratiónis, in quo omnis, qui fuisset ingressus, adoráset, et venerarétur, et dans honórem imménso lúmini, mundior egrederétur foras, quam fúerat introgréssus. Cum hæc, ut supradíximus, ageréntur, præfécti filius venit ad locum cum sodálibus suis iúvenibus, qui insultáturus puellæ, et locum, in quo virgo orábat, ingressus est audácter, et statim præfocátus a diábolo, exspirávit. Ingrédiens autem unus ex iúvenibus, qui ei familiárior erat, quasi congratularétur insultatióni eius, exclamábit voce magna dicens: « Piíssimi Románi, succúrrite! Mágicis ártibus ista merérix præfécti fílium interfécit! » Fit repénite concúrsus populórum ad théatrum, et vária furéntis pópuli acclamátio. Audiens præféctus fílium suum interísse, cum ingénti tumúltu et luctu, vénit ad théatrum. Et ingressus locum, in quo corpus fílii eius iacébat exánime, cum ingénti clamóre dicébat beatíssimæ vírgini: « Crudelíssima ómnium feminárum, ad fílium meum voluísti apódixen artis tuæ mágicæ demonstráre? » Et cum huiúsmodi verba multa repéteret, ait ad eum beatíssima Agnes: « Ille, cuius voluntátem volébat perfícere, ipse in eum potestátem accépit. Ecce, omnes, qui ad me ingrési sunt, sani sunt, vidéntes splendórem ángeli, eum adorábant omnes, et abscedébant omnes illæsi. Hic autem ímpudens statim, ut ingressus est, sævère cœpit, et frémere. Cumque manum suam ad contingéndam me aptáret, dedit eum ángelus Dómini in reprobávi mortem. » Dixit præféctus ad beatíssimam Agnem: « In hoc apparébit, quia non mágicis ártibus hoc gessísti, si deprecáta fúeris ipsum ángelum, ut restítuat mihi fílium meum sanum. » Cui beáta Agnes dixit: « Licet fides vestra hoc non mereátur, tamen, quia tempus est, ut virtus Dómini mei, Iesu Christi manifestétur, egredímmini omnes foras. » Cumque egréssi fuissent, prostérnens se in fáciem plorans, rogáre cœpit Dóminum, ut iúvenem suscitáret. Oránte autem beáta Agne, apparuit ángelus, qui et levávit eam flentem, et confórtans ánimum eius, suscitávit iúvenem. Qui egréssus foras, cœpit voce pública clamáre et dicere: « Unus Deus in cælo et in terra, et in mari, qui est Deus Christianórum. Nam ómnia templa vana sunt, dii, qui colúntur, vani sunt, et pénitus nec sibi possunt, nec áliis aliquod auxiliúm exhibére. » Ad vocem fílii præfécti resuscitáti omnes harúspices et

tempórum pontífices conturbabántur, et fit per eos veheméntior, quam fúerat sedítio populórum, atque omnes una voce clamábant: « Tolle malefícam, quæ et mentes mutat, et ánimos aliénat. » Tu autem.

### Responsorium

Induit me Dóminus vestiméto salútis, et induméto lætítiæ circúmdedit me, \* et tamquam sponsam, decorávit me coróna. **V.** Induit me Dóminus cycláde áuro texta, et imménsis monílibus ornávit me. **Et** tamquam sponsam.

### Lectio sexta

**P**RÆFÉCTUS autem videns tanta mirabília, obstúpuit, sed véritus seditiónem, si contra templórum pontífices ágeret, et Agnem contra suas senténtias defensáret, vicárium ad seditiónem pópuli derelíquit. Ipse autem tristis abscéssit eo, quod non pótuit eam post fíllii sui resurrectionem liberáre. Vicárius autem pópuli seditiónem non ferens, iussit in conspéctu ómnium ignem copiósus accénderi, et in médio flammárum beátam víginem præcépit iactári. Quod cum fuísset implétum, statim in duas partes divisæ sunt flammæ, et hinc atque illinc seditiósos pópulos exurébant, ipsam autem pénitus in nullo contingébant. Beáta Agnes expándens manus suas in médio ignis, his verbis oratióem fudit ad Dóminum: « Omnípotens adoránde, treménde, colénde Pater Dómini mei, Iesu Christi, benedíco te, quia per Fílium tuum evási minas hóminum, et spurcítias diáboli impollúto calle transívi. Benedíco te, Pater prædicánde, qui étiam inter flammam intrépidam me ad te veníre permíttis. Ecce, quod crédidi, vídeo, quod sperávi, iam téneo, quod concupívi, compléctor. Te confíteor lábiis, te corde, te totis vísceribus concupísco. Ecce, ad te vénio, vivum et verum Deum, qui cum Dómino nostro, Iesu Christo, fílio tuo, et cum Spíritu Sancto vivis et regnas modo et semper, et in cuncta sæcula sæculórum, amen. » Cumque beáta virgo compléssset oratióem, ita omnis ille copiósus ignis extíntus est, ut nec tepor quidem incénderi remaneret. Tunc Caspásius, urbis Romæ vicárius, pópuli seditiónem non ferens, in gútture eius gládium mergi præcépit, atque hoc éxitu, róseo sánguine sui colóre perfúsam, Christus sibi sponsam, et mártirem dedicávit. Paréntes vero eius nullam pénitus tristítiam habéntes, cum

omni gáudio abstulérunt corpus eius, et posuérunt illud in prædio suo, non longe ab urbe via, quæ dicitur Nomentána. Tu.

Responsorium



**O**mnípotens adoránde, colénde, treménde, benedíco te, quia per Fílium tuum unigénitum \* evási minas hóminum impiórum, et spurcítias diáboli impollúto calle transívi. **V.** Grátias tibi ago, Dómine, quia per fílium tuum. **E**vási.

## In tertio nocturno

Antiphona



**C**hristus circúmdedit me vernántibus atque coruscántibus gemmis præciósis. **Ps.** Cantáte **primum**.

Antiphona



**I**psi sum desponsáta, cui ángeli sérviant, cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur. **Ps.** Dóminus regnávít, exúltet.

Antiphona

**I**psi soli servo fidem, ipsi me tota devotióne commítto. **Ps.** Cantáte **secundum**.

**Versiculus:** Adiuvábit eam Deus. **Homelia:** Símile est regnum cælórum decem virgínibus.

## Responsorium



**I**am corpus eius córpori meo sociátum est, et sanguis eius ornávit genas meas, \* cuius mater virgo est, cuius pater féminam nescit. **V.** Ipsi sum desponsáta, cui ángeli sérviant, cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur. **C**úius mater.

## Responsorium



**M**el et lac ex eius ore suscepí, \* et sanguis eius ornávit genas meas. **V.** Cuius pulchritúdinem sol et luna mirántur, ipsi soli servo fidem. **E**t sanquis.

**Responsorium:** Pulchra fácie, sed púlchrior. *ut supra.*

## Ad laudes

## Antiphona



**I**ngréssa Agnes turpitudinis locum, ángelum Dómini præparátum invénit. **Ps.** Dóminus regnávít.

## Antiphona



**A**nulo suo subarrávit me Dóminus meus, Iesus Christus, et tamquam sponsam, decorávit me coróna.

## Antiphona



**B**enedíco te, Pater Dómini mei Iesu Christi, quia per Fílium tuum ignis extínguitus est a látere meo.

## Antiphona



Congaudéte mecum, et congratulámini, quia cum his ómnibus lucídas sedes accépi.

## Antiphona



Mecum enim hábeo custódem córporis mei, ángelum Dómini.

**Capitulum:** Confitébor. **Hymnus:** Iesu coróna.

## Ad Benedictus antiphona



Ecce, quod concupívi, iam vídeo, quod sperávi, iam téneo, illi sum iuncta in cælis, quem in terris pósita tota devotióne diléxi.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Ingréssa Agnes. **Ps. de virginibus.** **Capitulum:** Confitébor. **Responsorium:** Pulchra fácie. **Hymnus:** Vírginis proles. **Versiculus:** Spécie tua, et pulchritúdine tua.

## Ad Magnificat antiphona



Beáta Agnes in médio flammárum, expánsis mánibus, orábat: Te déprecor, veneránde, colénde Pater metuénde, quia per sanctum Fílium tuum minas evási sacrílegi tyránni, et carnis spurcítias immaculáto calle transívi, et ecce, vénio ad te, quem amávi, quem qæsívi, quem semper optávi.

## IN FESTO SANCTI VINCENTII MARTYRIS

## Ad vespas

**Antiphona:** Iste cognóvit. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** Beátus vir, qui in sapiéntia.

**Responsorium:** Agnósce, o. **Hymnus:** Deus tuórum mílitum.

**Versiculus**

**V.** Glória et honore coronásti eum, Dómine.

**R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

**Ad Magnificat antiphona**



**Sacram** huius diéi sollemnitátem húmili celebrémus devotióne, quia invíctus Christi martyr Vincéntius, tyránno devícto, insígnem victóriæ palmam, cælo gaudens, íntulit.

**Oratio**

**A**DÉSTO Dómine, supplicatióibus nostris, ut qui ex iniquitáte nostra reos nos esse cognóscimus, beáti Vincéntii mártiris tui intercessióne liberémur. Per.

## Ad matutinas

**Invitatorium**



**V**incéntem mundum, adorémus Dóminum, \* in quo pressúras mundi martyr vicit Vincéntius. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

### Antiphona



**S**anctus Vincéntius a puerítia stúdiis litterárum tráditus, supérna sibi providénte cleméntia, gémina sciéntia efficacíssime cláruit. **Ps.** Beátus vir.

### Antiphona



**S**anctitáte quoque insignis diaconíi arce susceppta, vices pontíficis diligénter exequebátur. **Ps.** Quare fremuérunt gentes.

### Antiphona



**V**alérius itaque epíscopus et lévita Vincéntius spe fruéndi victória divínitus subníxi, in confessióne deitátis alácritér cucurrérunt. **Ps.** Dómine, quid multiplicáti.

### Versiculus

**V.** Gloria et honore eum, Dómine.

**R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

### Lectio prima

**S**ANCTUS Vincéntius a puerítia stúdiis litterárum tráditus, supérna providénte cleméntia, quæ sibi eum prævidébat, vas electiónis futúrum gémina sciéntia sub beáto Valério, Cæsáreæ Augústæ civitátis antístite, efficacíssime cláruit, a quo étiam sanctitáte insignis diaconíi arcem suscepit. Cum ígitur apud Augústam Cæsáream civitatem Datiáno, quídam præsidí gentíli ac sacrílego, a dómínis ac princípibus suis, Diocletiano, et Maximiano sæviéndi in Christiános occasio cecidisset, epíscopus ac presbýteros, ceterósque ecclesiástici órdis ministros, spíritum nequítiae exagítatus, rapi præcepit. Prótinus ergo Valérius epíscopus et Vincéntius diaconus fidei soliditáte, et spe fruéndi victória subníxi, in confessióne deitátis



alácritér cucurrérunt. Tanto felicióres se esse credéntes, quanto acríóre tyránni supplícia pia longanimitáte certássent evíncere. Unde certáminis ac pœnárúm dilátio remuneratiónis eis videbátur diminútio. Tu autem.

Responsorium



Sacram præsentis diéi sollemnítatem húmili celebrémus devotióne, qua invíctus Christi martyr Vincéntius, tyránno devícto, \* insígnem victóriæ palmam cælo gaudéntes íntulit. **V.** Perácto ígitur passiónis suæ venerándo triúmpho, angelórum cætibus comitátur. **I**nsígnem victóriæ.

Lectio secunda

**D**ATIÁNUS ergo iudex, sanctos Dei: Valérium et Vincéntium sub carcerálem custódiám, et famis misériam, a catenárúm stridórem pertráhi præcépít, ut eos vexatióne itínemis frángeret, faciúisque subígeret iniúriam, quos vidébat non posse superári pœna. Qui cum mánibus et cervícibus imménsa póndera ferri sustinérent, et per omnes artus iam tunc mortis supplícia pateréntur. Cumque iam defecísse eos créderet iugi iniúria, et tándiu a públicá conversatióne seclúsos, nec córpore prævalére nec spírítu, timens, ne sævítiæ sue damna paterétur, produci eos e cárcere, iussit, nolens eos ante torménta finíre vitam. Quibus proponébat, quod nec mórtuis párceret, si deórum suórum cultúram recípere renúissent. Hinc pavéfáctus Datiánus a conspéctu eórum, quod intégri córpore et virtútibus fúissent, et inter supplícia fortióres, ait suis: « Ut quid istis largióri pastu indulstis et potum? » Mirabátur enim furóre cæcus robustióres esse, quos Deus páverat.

Responsorium



Sanctus Vincéntius, Christi martyr, providénte supérna cleméntia, quæ sibi eum prævidébat, vas electiόνis futúrum, \* gémina sciéntia efficacíssime cláruit. **V.** Sanctitáte quoque insígnis diacónii arce suscépta, vices pontíficis diligénter exquebátur. **G**émina sciéntia.

## Lectio tertia

**C**ONVÉRSUS itaque Datiánus ad episcopum: « Quid agis – inquit – tu, Váleri, qui sub nómine religi6nis contra príncipes facis? Nescis, quod qui regália decreta spernunt, de vita periclitántur? Iussérunt dómini orbis et príncipes, ut diis libámina persolvátis. Unde quod monémus obsequénter, atténde, quátenus tuo exémplo inferi6res fácite suscipiant, quod te, qui religi6nis huius c6rneris esse episcopus, viderint non sprévisse. Sed et tu, Vincénti, urbis meis salúbriter obáudi, quem et nobilitas géneris, et decor comméndat gratíssimæ iuventútis. Itaque vestráe diffini6nis senténtiam in commúne dícite, ut aut consentiétes hon6ribus amplificémini, aut contemnéntes torment6rum supplíciiis subdámmini. » Cumque reticéret episcopus, ait Vincéntius: « Si iubes, pater sancte, resp6nsis iúdicem aggrediar » Et beátus Valérius: « Dudum – inquit – caríssime, dudum<sup>f</sup> verbi tibi curam commíséram, sed et nunc pro fide, qua astámus, resp6nsa commítto. » Tu autem.

## Responsorium



Lévita Vincéntius dixit beáto Valério: Si iubes, pater sancte, resp6nsis iúdicem aggrediar. Iam tibi, fili caríssime, divíni verbi curam commíséram, \* nunc quoque pro fide, qua astámus, resp6nsa commítto. **V.** Tibi enim gémina sciéntia pollénti, ac supérni am6ris igne fervénti, cæléstis doctrínæ ministérium delegávi.

## In secundo nocturno

## Antiphona



Tanto namque felici6res se esse credébant, quanto acrí6ra tyránni supplícia pia longanimitáte certássent evíncere. **Ps.** Cum invocárem.

---

<sup>f</sup> 1558: divíni

## Antiphona



**L**évita Vincéntius dixit beáto Valério: Si iubes, pater sancte, respónsis iúdicem aggrédia. **Ps.** Verba mea.

## Antiphona



**I**am tibi, fili caríssime, divíni verbi curam commísseram, nunc quoque pro fide, qua astámus, respónsa commítto. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

**Versiculus:** Posuísti, Dómine, super caput eius.

## Lectio quarta

**B**EÁTUS Vincéntius, cuius mens iam tota · corónæ cónscia, convérsus ad Datiánum: « Háctenus – inquit – a te hábitus sermo, de negánda fide perorávit. Sed nefárium apud Christianórum prudéntiam esse congnoíce, deitátis cultum abnegándo blasphemáre. Et ne te lóngius prótraham. Profitémur nos Christiáne legis esse cultóres, et uníus, ac veri Dei permanéntis in sácula fámulos et testes. In eius nómine contra exquisíta calliditátis tuæ arguménta spiritalia constánter arma pugnatúri excípimus, minas tuas et supplícia non metuéntes, sed pótius mortem pro veritate libénter amplecténtes. » Iamque pæne extra se pósitus Datiánus præses dixit: « Amovéte hinc episcopum istum, iustum est enim eum subíre exílium, quóniam imperiále contépsit edíctum. Graviórem autem et rebellem Vincéntium, qui in contuméliam públicam venit, exhibéte torméntis! Animositati enim eius vídeo inferénda esse supplícia maióra, quia quidquid sibi est accessúrum pro pœna, ipse præsumit ad glóriam. » Tu autem.

## Responsorium



**E**cce, iam in súblime agor, et omnes príncipes tuos sáculo áltior tyránne despício, nolo, ut glóriam meam mínuas, nec damna ínferas

láudi, \* parátus sum enim ad ómnia torménta pro Salvatóris nómine sustinénda. **V.** Insúrge ergo, et toto malignitátis spírítu debacháre, vidébis me Dei virtúte plus posse, quam possis ipse, qui torques. **P**arátus sum.

Lectio quinta

**D**IXIT ergo Datiánus: « Applicáte Vincéntium ad ecúleu[m], membrís disténdite, et toto córpore dissipáte! Hanc pœnam ante ómnia torménta sustíneat. » Inter hæc Datiánus præses dixit: « Quid dicis, Vincénti, vel ubi iam cóncipis tuum miserábile corpus? » At ille Dei præsentia roborátus, álacri vultu respóndit: « Hoc est, quod semper optávi, hoc est, quod votis ómnibus exquisívi! Nemo mihi amítior, nemo familiárior fuit. Tu solus votis meis concórdas. Ecce, iam in sublíme agor, et ipsos príncipes tuos sœculo áltior tyránne despício. Nolo, ut glóriam meam mínuas, nec damna ínferas láudi. Parátus est Dei servus ad ómnia pro Salvatóris nómine sustinénda. Insúrge ergo, et toto malignitátis tue spírítu debacháre, vidébis enim me, Dei virtúte plus posse, dum tórqueor, quam possis ipse, qui tórques. » Tu autem.

Responsorium



**A**ssúptus ex ecúleo lévita Vincéntius, atque ad patíbulum raptus, tortóres suos pœne præveniēns \* moras carníficum arguēdo ad pœnam alácritèr properábat. **V.** Intrépidus ítaque Dei athléta, candéntis ferri máchinam ultro conscéndit. **Moras.**

Lectio sexta

**A**T Datiánus præses, nímia fervens insánia, áciem lúminis in solum corpus beáti mártiris infigébat proflúentem, non iam a solis latéribus, sed a toto córpore sánguinem cernens. Erant enim víscerum intérna patefácta. Nam iunctúras compáginis dívèrsitas tormentórum separáverat. Post hæc Datiánus ait: « Transferátur hinc ad legítimam quæstiónem, ac percúrrat molestióra torménta. Víncere me iste non potest, dum vivit. » Vincéntius respóndit: « O, felícem me! – inquit – iste minæ ad láudem et glóriam mihi sunt. » Hinc ex ecúleo assúptus lévita Vincéntius, atque ad ignis patíbulum raptus, tortóres suos pœne præveniēns, moras carníficum arguēdo ad pœnam alácritèr properábat. Iam enim truculéntus mínister profèrri

lectum cum ferrátis iússerat costis, et áddita subter igníta cárbonum, congérie exuréndum Dei mártýrem complicári. Intrépidus itaque Dei athléta, candéntis ferri máchinam ultro conscéndit. Verum Datiáno inániter tractánte de supplício, Christus cleménte dispósuit de præmio. Delátus namque martyr Dei ad léctulum, mox prætiósam resulútus in mortem, cælo spíritum réddidit. Videns circumstántium frequéntiam sancti vestigia certátim deosculándo prolámbere, vúlnera totíus laceráti córporis pia curiosítate palpáre, sánguinem líntheis excíperé, sacra veneratióne pósteris profutúrum. Tu.

#### Responsorium



Agnósce, o, Vincénte invictíssime, pro cuius nómine fidéliter decertásti, \* ipse tibi corónam præparátam servat in cælis, qui te fecit victórem in pœnis. **V.** Esto ígitur iam secúrus de præmio, quia mox depósito ónere carnis nostro, eris addéndus collégio. **I**pse.

## In tertio nocturno

#### Antiphona



**B**eátus Vincéntius, cuius iam mens cónscia corónæ, dixit Datiáno: Háctenus a te hábitus sermo de negánda fide perorávit. **Ps.** In Dómino confído.

#### Antiphona



**N**efárium tamen apud Christianórum prudéntiam esse agnósce, deitátis cultum abnegándo blasphemáre. **Ps.** Dómine quis habitábit.

## Antiphona



**P**rofitémur enim Christiánæ religiónis nos esse cultóres, ac unius veri Dei permanéntis in sæcula fámulos et testes. **Ps.** Dómine in virtúte tua.

**Versiculus:** Magna est glória. **Homélia:** Si quis vult veníre.

## Responsorium



**B**eátus Dei athléta Vincéntius, horréndo cláusus ergástulo cárceris, psalmum Deo et hymnum angelórum frequéntia relevátus lætus dicébat, \* quorum vallátus catérva venerádo fovebátur obséquo, et mulcebátur allóquio. **V.** Dantur hinc láudes Deo altíssimo, et resonánte órgano angélicæ vocis moduláta, suávitás procul diffúnditur.

## Responsorium



**C**hristi miles, prætiósus lévita Vincéntius, ut tribúnal sponte regum conscéndit intrépidus, \* cuius salis crepitántis per corpus minútiae sparsim íbant, atque prunæ vernabántur sáanguine. **V.** Inter hæc manet immótus ille Dei fámulus, orans Christum in sublíme eréctis lumínibus. **Cuius.**

## Responsorium



**G**loriósus Dei amícus, Vincéntius, Iesu Dómini confessióne fundátus, inter tormentórum supplicia stetit impertérritus, \* ac demum, triumpháli morte insígnis, cælos pétiit sáanguine laureátus. **V.** Felíci commércio, pro terrénis cælestia, pro peritúris æténa cómmutans. **Ac** demum, triumpháli morte.

## Ad laudes

### Antiphona



**A**ssúptus ex ecúleo lévita Vincéntius, atque ad patíbulum raptus, moras carníficum arguendo, ad pœnam alácriter properábat. **Ps.** Dóminus regnávit.

### Antiphona



**I**ntrépidus ítaque candéntis ferri máchinam ultro conscéndit, ac manens immótus, érécis in cælum lumínibus Dóminum precabátur.

### Antiphona



**H**inc horréndo cárceris cláusus ergástulo, Dei athléta angelórum venerádo fovebátur obséquo, et mulcebátur allóquio.

### Antiphona



**A**gnósce, o, Vincéti invictíssime, quia pro cuius nómine fidéliter decertásti, ipse tibi corónam præparátam servat in cæléstibus.

### Antiphona



**D**antur ergo láudes Deo altíssimo, et resonánte órgano vocis angelicæ moduláta, suávitás procul diffúnditur.

**Capitulum ut supra.** **Hymnus:** Martyr Dei. **Versiculus:** Iustus ut palma.

Ad Benedictus antiphona



Ecce, iam in súblime agor, et omnes príncipes tuos sáeculo áltior tyránne despício, parátus ad ómnia, pro Salvatóris nómine sustinéndá.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Assúptus est. **Psalmi de uno martyre.** **Capitulum ut supra.**  
**Responsorium:** Gloriósus Dei. **Hymnus:** Deus tuórum. **Versiculus:** Glória et honóre coronásti.

Ad Magnificat antiphona



Egrégius Dei martyr Vincéntius, diris tormentórum supplíciis pro Christo aláriter superátis, ac felícis pugnæ agóne constánter expléto, tandem prætiósam resolutus in mortem, cælo triúmphans spíritum réddidit.

## IN FESTO SANCTÆ EMERENTIANE VIRGINIS

**Capitulum** Qui gloriátur.

**Oratio**

**T**UAM misericórdiam, omnípotens Deus, deprecámur, ut sanctæ vírginis et mártiris tuæ Emerentiánæ précibus, tuam indulgéntiam conséqui mereámur. Per.



## IN CONVERSIONE SANCTI PAULI

## Ad vesperas

**Antiphona:** Excelsus. **Ps.** Laudáte, pueri.

**Capitulum**

**I**N diébus illis, Sáulus adhuc spirans minárum et cædis in discipulos Dómini accessit ad príncipem sacerdotum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut si quos invenisset huius viæ viros ac muliéres, vinctos perdúceret in Hierúsalem, et cum iter faceret, cóntigit, ut appropinquáret Damáscó, et súbito circumfúlsit eum lux de cælo. Deo.

**Responsorium**

**M**agnus sanctus Páulus, vas electiónis, \* vere digne est glorificándus, qui et méruit thronum duodécimum possidére. **V.** A Christo de cælo vocátus, et in terram prostrátus, ex persecutóre efféctus est vas electiónis. **Vere digne.**

**Hymnus**

**D**octor egrégie, Páule, mores ínsture,  
et mente polum nos transférre sátage,  
donec perféctum largiátur plénius,  
evacuáto, quod ex parte gérimus.

**S**it Trinitáti sempitérna glória,  
honor potéstas atque iubilátio,  
in unitáte cui manet impérium,  
ex tunc et modo per æténa sáecula.

**Amen.**

**Versiculus:** In omnem terram.

## Ad Magnificat antiphona



**O**, gloriósum lumen ómnium ecclesiárum, sole splendídius, o, vere apostólicum sydus altíssimum, sancte Páule, qui ætérni regis splendórem ténebris géntium infudisti, qui in terris pósitus, cælórum secréta petísti, et quæ non licet hómīni loqui, prævidísti, illuc súpplices tuos post huius carnis términum perdúcere dignáre, quos fecísti veritátis lumen agnóscere.

## Oratio

**D**EUS, qui univérsum mundum beáti Páuli apóstoli tui prædicatióne docuísti, da nobis, quæsumus, ut qui eius hódie conversiónem cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur.

Eodem die de sancto Proiecto.

## Oratio

**M**ÁRTYRIS tui Proiécti, quæsumus Dómine, intercessio gloriósa nos tibi comméndet, ut quod nostris áctibus non merémur, eius précibus consequémur.

Fiat memoria de sancto Petro. Antiphona: Solve iubénte. Versiculus: Tu es Petrus.

Oratio: Deus, qui beáto Petro. *quaere infra in cathedra sancti Petri.*

## Ad matutinas

## Invitorium



**L**audémus Deum nostrum \* in conversiόne sancti Páuli apóstoli. **Ps.**  
Veníte

## In primo nocturno

### Antiphona



Sáulus adhuc spirans minárum, et cædis in discipulos Dómini, ábiit ad príncipem sacerdotum, et pétiit illum, ut ubi inveniret huius viæ viros, vinctos perdúceret in Hierúsalem. **V.** Et cum iter fáceret, cóntigit, ut appropinquáret Damásco. **Ps.** Cæli enárrant.

### Antiphona



Ibat ígitur Sáulus fúria invéctus, dirúmque toto pectore virus efflábat, et sanctorum sánguinem sine intermissióne sitiébat. **V.** Per totam Iudéam insánia ferebátur, ut Christi membra laniáret in terris. **Ps.** Benedícám Dóminum.

### Antiphona



Sáule, Sáule, quid me perséqueris? Durum est tibi contra stímulum calcitráre. **V.** Circumfúlsit eum lux de cælo, et cadens in terram, audívit vocem de cælo dicéntem sibi. **Ps.** Eructávit cor meum.

**Versiculus:** In omnem terram.

### Lectio prima

**F**UIT vir quidam in Hierúsalem de tribu Béniamin, nómine Sáulus, eruditíssimus in libris Móysi, et cunctis legis, cærimóniis, quæ tunc secúndum lítteram gerebántur, nihil in his mýsticum séntiens, aut advértens. Hic devastábat Ecclésiám Dei, ingrédians domos, et trahens viros ac muliéres, atque in cárcerem ponens. Igitur cum adhuc spiráret minas et cædes in apóstolos Dómini, accéssit ad príncipem sacerdotum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut si quos invenísset huius viæ viros ac muliéres, vinctos perdúceret in Hierúsalem. Tu.

## Responsorium



Sáulus adhuc suspírans minárum et cædis in discípulos Dómini, accessit ad príncipem sacerdotum, et pétiit illum. \* ut ubi inveníret huius viæ viros, vinctos perdúceret in Hierúsalem. **V.** Ibat ígitur Sáulus fúria invéctus, dirúmque toto pectore virus efflábat. **Ut** ubi.

## Lectio secunda

**E**T cum iter fáceret, cóntigit, ut appropinquáret Damáscó. Et súbito circumfúlsit eum lux de cælo, et cadens in terram, audívit vocem, dicéntem sibi: « Sáule, Sáule, quid me perséqueris? Durum est tibi contra stímulum calcitráre. » Qui dixit: « Quis es, Dómine? » Et ille: « Ego sum Iesus, quem tu perséqueris. » Qui tremens ac stupens dixit: « Dómine, quid me vis fácere? » Et Dóminus ad eum: « Surge, et ingrédere civitátem, et dicétur tibi, quid te opórteat fácere. » Viri autem illi, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti. Audiéntes quidem vocem, néminem autem vidéntes. Surréxit autem Sáulus de terræ, apertisque óculis, nihil vidébat. Ad manus autem illum trahéntes, introduxérunt Damáscum. Et erat ibi tribus diébus non videns, et non manducávit, neque bibit. Tu.

## Responsorium



Ibat ígitur Sáulus fúria invéctus, dirúmque toto pectore virus efflábat, \* et sanctorum sánguinem sine intermissióne sitiébat. **V.** Per totam Iudæam insánia ferebátur, ut Christi membra laniáret in terris. **Et** sanctorum.

## Lectio tertia

**E**RAT quidem discípulus Damásci, nómine Ananías. Et dixit ad illum in visu Dóminus: « Ananía! » Et ille ait: « Ecce, ego Dómine! » Et Dóminus ad illum: « Surge, et vade in vicum, qui vocátur Rectus, et quære in domo Iudæ Sáulum nómine Tharsénsensem, ecce enim, orat. » Et vidit virum Ananíam nómine introëuntem, et imponéntem sibi manus, ut visum recípiat. Respóndens autem Ananías, ait: « Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fécerit in Hierúsalem, et hic habet potestátem a

príncipibus sacerdotum, alligandi omnes, qui invocat nomen tuum. » Dixit autem ad eum Dóminus: « Vade, quóniam vas electiónis est mihi iste, ut portet nomen meum coram géntibus et régibus et filiis Israël. Ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nómine meo pati. » Tu.

#### Responsorium



**A** Christo de cælo vocátus, et in terram prostrátus, ex persecutóre efféctus est vas electiónis, et plus ómnibus labórans, multo látius inter omnes verbi grátiam seminávit, \* atque doctrínam evangélicam sua prædicatióne complévit. **V.** Inter apóstolos vocatióne novíssimus, prædicatióne primus, nomen Christi multárum manifestávit géntium pópulis. **A**tque doctrínam.

## In secundo nocturno

#### Antiphona



**S**áulus autem tremens ac stupens, dixit ad Iesum: Dómine, quid me vis fácere? Ait autem Dóminus ad eum: Surge, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi, quid te oporteat fácere. **V.** Viri autem, qui comitabántur cum eo, stabant stupefácti. **Ps.** Omnes gentes.

#### Antiphona



**A** Christo de cælo vocátus, et in terra prostrátus, ex persecutóre efféctus est vas electiónis. **V.** Prostrátus est suævíssimus persecútor, et eléctus fidelíssimus prædicátor. **Ps.** Exáudi Deus deprecatiómem.

## Antiphona



Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum, et erat ibi tribus diebus non videns, et non manducavit, neque bibit. **V.** Surrexit autem Saulus de terra, apertisque oculis, nihil videbat. **Ps.** Exaudi Deus orationem.

**Versiculus:** Constitues eos.

## Lectio quarta

**F**RATRES carissimi, revolvamus, quæ lecta sunt de gloriosissimo Paulo, in quo Dominus fidem nominis sui, dum ipsam fidem persequeretur, eligit. Qui, dum velut acerrimus persecutor, Christianam vastat Ecclesiam, inimico adhuc eius pectore amicum sibi cor Christus invenit. Cum Saulus temporalia capit ad supplicia Christianos, ipse perpetuam captus ad gratiam, subito factus est pastor ex lupo, ex prædone custos, ex hoste defensor. Unde patuit nec Paulum malignæ mentis proposito plebem dominicam persecutum, nec Christum latuisse, quem eligeret in Paulo. Hic est Paulus, qui Christi vocibus inclamatus e cælo, oculis in se Iudicæ infidelitatis obtusis, videndi aciem non perdidit, sed mutavit. Amisit oculos, et recepit, ut in uno eodemque tempore, et in persequentem cæcitatatis vindicta procederet, et, vocantis Dei gratia, illuminaret electum. Tu autem.

## Responsorium



Vade, Anania, et quære Saulum, qui vas electionis est mihi, ut portet nomen meum \* coram gentibus et regibus et filiis Israël. **V.** Ego enim ostendam illi, quanta oporteat illum pati pro nomine meo. **Coram.**

## Lectio quinta

**A**IT namque Paulo de cælo Dominus: *Saule, Saule, quid me perséqueris.* Id est: « Cur me perséqueris, Saule? Quænam odium erga me tuum excitavit iniquitas? Numquid, quia illuminavi cæcos, quia sanavi ægros, quia fugavi dæmones, quia esuriéntes ex quinque panibus pavi, an qui de túmulis mórtuos suscitávi, an forte magis, qui fidélibus meis regnum cæléste[m] promísi? Si præstare me posse,

Páule – inquit Dóminus – dúbitas, quæ promítto, áspice, si tantum potes. Unde te qualisve appélló. Sed quare me perséqueris, Sáule, aut quid me persecúendo proficies? Numquid advérsus regnántem in cælo, ullum tua persecútio habébit efféctum? Numquid nocére mihi quisquid póteris, quem non potes intuéri? Ego sum – ait Dóminus – Iesus Nazarénus, quem tu perséqueris, qui terras cælo, crucem regno, mortem perpetuitáte mutávi. De quibus ómnibus non te debére cunctári, et nunc tibi eréptus, et post páululum suadébit aspéctus. »

#### Responsorium

**I**ngréssus Páulus in synagógam, prædicábat Iesum Iudæis, \* affirmans, quóniam hic est Christus. **V.** Sáulus, qui et Páulus magnus prædicátor, magis ac magis convalescébat, et confundébat Iudæos. **A**ffirmans.

#### Lectio sexta

**E**T beátus Páulus repéntina quidem cæcitate coërcitus, intellécta tamen maiestáte loquéntis e cælo contínuo fidélis efféctus, et a persecutióne déstitit, et novos intuéndi Christum óculos acquisívit. Ait namque: *Dómine, quid me vis fácere? Surge* – ait Dóminus – *et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi, quid te oppórteat fácere.* Iam parat se ad obœdiéndum, qui prius [!] ad persecúendum. Iam informatus ex persecutore prædicátor, ex lupo ovis, ex hoste miles. Audit, quid fácere débeat, cæcus sanefáctus, ut interióri luce refúlgeret cor eius. Extérior lux subtrácta est persecutóri, ut redderétur prædicatóri. Eo tamen témpore, quo cætera non vidébat, Iesum tamen vidébat. Ita et ipsa eius cæcitate informabátur mystérium credéntium, quod qui credit in Christo, ipsum intuéri debet, cætera nec nata computáre. Creatúra viléscat, ut creátor dulcéscat. Videámus ergo: *Addúctus est ad Ananíam,* et Ananías interpretátur ovis. Ecce, lupo rapax addúctus ad ovem sequéndam, non rapiéndam. Tu.

#### Responsorium

**C**um autem complácuisset ei, qui me segregávit ex útero matri meæ, et vocávit per grátiam suam, \* ut reveláret filium suum per me, ut evangelizárem illum in géntibus. **V.** Contínuo non acquievi carni et sánguini, neque veni Herosólymam ad antecessóres meos apóstolos. **U**t reveláret.

## In tertio nocturno

### Antiphona



Vade, Ananía, et quære Sáulum, ecce enim orat, quóniam vas electiónis est mihi, ut portet nomen meum coram géntibus, et régibus, et fíliis Israëli. **V.** Dixit autem Dóminus in visu Ananiæ. **Ps.** Confitébirur.

### Antiphona



Sáule, frater, Dóminus misit me ad te Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniébas, ut vídeas et impleáris Spíritu Sancto. **V.** Abiit Ananiás, et introívit in domum, et impónens ei manus, dixit. **Ps.** Dóminus regnávit exúltet.

### Antiphona



Sub manu contínuo Ananiæ cecidérunt squamæ ab óculis eius, et surgens baptizátus est, et accípiens cibum, confortátus est. **V.** Fuit autem cum discípulis, qui habitábant Damásci per dies áliquot. **Ps.** Dóminus regnávit, irascantur.

**Versiculus:** Nimis honoráti sunt amíci tui.

Secúndum Lucam.

**I**N illo témpore. Dixit Iesus discípulis suis parábolam hanc: homo quidam erat dives, qui habébat villicum, et hic diffamátus est apud illum, quasi dissipásset bona ipsíus. Et réliqua.

**Lectio septima** Homélie beáti Hieronými presbýteri.

**Q**UIDAM hanc similitúdinem, in Páulo apóstolo implétam, intélligi volunt hoc modo. Homo iste: Deus omnípotens est, qui hábuit villicum, Páulum scílicet apóstolum, cui divítias suas dispensándas commísit, quando secus pedes Gamaliélis, legis doctóris, iuxta veritátem patrénæ legis eum erudívit, sed male divítias Dómini sui



tractávit, quando legem carnáliter intélligens, Christiános persecútus est in tantum, ut accíperet epístolas a princípibus sacerdotum, ut quoscúmque inveníret huius viæ viros ac mulieres, vinctos perdúceret in Hierúsalem. Diffamátus est apud Dóminum suum, quando dictum est de eo: *Dómine, audívi a multis de viro hoc, quanta mala sanctis tuis fécerit in Hierúsalem, et hic habet potestátem a princípibus sacerdotum, alligándi omnes, qui ínvocant nomen tuum. Tu.*

#### Responsorium



**B**eátus es, vas electiónis, sancte Páule, \* qui meruísti arcána verba audíre. **V.** Beátus es, egrégie Dei doctor, beáte Páule. **Q**ui meruísti.

#### Lectio octava

**C**UMQUE fama persecutóris eius ad Dóminum ascendísset, pergénte eo Damáscum, vocávit eum Dóminus suus de cælo, et ait illi: *Sáule, Sáule, quid me perséqueris? Durum est tibi contra stímulum calcitráre. Quod est dícere: quid hoc áudio de te? Redde ratióne villicatiónis tuæ, iam enim non póteris villicáre, id est: iudaizáre. Ac si dicerétur: quia usque hódie legis doctor fuísti carnáliter, discípulus veritátis incípías esse spirituáliter. Villicus díctur, qui super villam aliénam curam gerit. Super aliénam quippe villam curam gerébat Páulus, quando legem per Móysen datam, carnáliter docébat, sed abláta est ab illo villicátio, quando lex non carnáliter, sed spirituáliter intélligi præcéptum est. Ait autem intra se: *Quid fáciam, quia dómínus meus áufer a me villicatióne. Quasi díceret: Quid fáciam, quia magíster et villicus fui, et nunc discípulus cogor esse, et operárius, fódere non váleo, id est: perscrutári doctrínam legis non permíttor. Mendicáre erubésco, quia fidem Christianitátis ab Ananía, quem discípulum hábui, díscere véreor. Scio, quid fáciam, ut cum amótus fuero a villicatióne, recípiant me in domos suas.**

#### Responsorium



**S**ancte Páule apóstole, prædicátor veritátis, et doctor géntium, \* intercède pro nobis ad eum, qui te elégit, ut digni efficiámur grátia

Dei. **V.** Tu es vas electiōnis, sancte Páule apóstole, prædicátor veritátis in univérso mundo. **I**ntercéde.

Lectio nona

**V**OCÁVIT duos debitóres dóm̄ini sui, iudæórum scilicet, et gentílium pópulum, qui ambo sub peccáti débito detinebántur, sicut ait idem apóstolus: « Non enim est distíctio Iudæi et Græci. » Omnes enim peccavérunt, et egent glória Dei. Et uni præcépit de céntum choris trítici octogínta scríbere. Octogenárius enim númerus ad fidem resurrectiōnis pértinet, quia Dóminus Iesus Christus octáva die a mórtuis resurréxit. Quinquegenárius autem ad pœniténtiam, quóniam quinquagésimus psalmus in pœniténtia est decantátus. Et quinquagésimus annus in lege iubilæus dictus est, id est: annus remissiōnis Iudæórum, ergo pópulo de centum choris trítici octogínta fécit scríbere, quia resurrectiōnem Christi eum crédere dócuit. Gentílem vero de centenário ad quinquagenárium vocávit, quia per pœniténtiam prístina mala córrigere, et Deo dócuit appropinquare. Post ómnia, hic est Páulus, qui cervíces suas, quas advérsus Christi nomen supérbus eréxerat, perfidórum cedéndas gládio humíllimus pro Christi honóre submísit. Nec piguit illum pro eo mori, quem sæpe probáverat vívere, et regnâre post mortem. Atque ita factum est, ut gloriosíssimum Páulum, velut victórem mundi, Roma suscíperet ad triúmphum. Tu autem.

Responsorium



Celebrémus conversatiōnem beáti Páuli apóstoli, \* qui hódie ex persecutore efféctus est vas electiōnis. **V.** Gáudent ángeli, et exúltant archángeli, et colláudant in cælis filium Dei. **Q**uia.

## Ad laudes

Antiphona



Sáulus autem intrávit ad príncipem sacerdotum, et pétiit ab eo epístolas in Damáscum ad synagógas, ut quocúmque sacræ fidei

viros inveníret, vinctos perdúceret in Hierúsalem. **Ps.** Dóminus regnávít.

**Antiphona**



**A**ccépta potestáte, ibat per viam fremens et frendens, et crudéliter sáviens cápere cúpiens, quos vellet, qui captus est, sit laus et honor Deo.

**Antiphona**



**V**ade, ait Dóminus, et ingrédere civitátem, et ibi dicétur tibi, quid te opórteat fácere, et surréxit, nihil videns, ductus est in civitátem.

**Antiphona**



**A**udívit Ananías in visu dicéntem sibi Dóminum: Surge et vade in vicum, qui vocatur Rectus, et quære Sáulum, ecce enim orat.

**Antiphona**



**T**imens autem Ananías, ait: Dómine, áuditum est a multis, quod vir iste multa mala servis tuis íngerit, et nunc habet potestátem alligándi omnes, qui ínvocant nomen tuum.

**Capitulum ut supra.** **Hymnus:** Doctor egrégie, Paule. **Versiculus:** Annunciavérunt ópera Dei.

**Ad Benedictus antiphona**



**C**elebrémus conversiónem beáti Páuli apóstoli, quia hódie ex persecutore efféctus est vas electiónis, et ídeo gáudent ángeli, lætántur archángeli, et colláudant in cælis fílium Dei.

Oratio ut supra. In missa præfatio de apostolis.

## Ad sextam

### Capitulum

**A**BIIT Ananías et introívit in domum, et impónens Sáulo manum, dixit: « Sáule, frater, Dóminus misit me Iesus, qui apparuit tibi in via, qua veniébas, ut vídeas et impleáris Spíritu Sancto », et conféstim cecidérunt ab óculis eius, tamquam squamæ, et visum recépit.

## Ad nonam

### Capitulum

**S**TUPÉBANT autem omnes, qui eum audiébant, et dicébant: « Nonne hic est, qui expugnábat in Hierúsalem illos, qui invocábant nomen istud, et huc ad hoc venit, ut vinctos illos dúceret ad príncipem sacerdotum. » Saulus autem multo magis conualescébat, et confundébat Iudæos, qui habitábant Damásci, affírmans, quóniam hic est Christus.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Sáulus autem intrávit. **vel:** Iurávit Dóminus, et non. **Ps. de apostolis.**

**Capitulum de primis vespis. Responsorium:** Celebrémus. **Hymnus:** Doctor egrégie.

**Versiculus:** In omnem terram.

### Ad Magnificat antiphona



**H**ódie electórum ómnium caput et spónsus Ecclésiæ, Christus, Sáulum stravít, et Páulum státuit, fáciens de inimíco amícum, ex persecutóre veritátis doctórem.

Oratio ut supra.

## IN FESTO SANCTI IULIANI CONFESSORIS

**Capitulum:** Omnis pón̄tífex.

**Oratio**

**C**ONCÉDE, quæsumus, omnípotens Deus, beáti Iuliáni confessorís tui atque pontíficis nos sequi exémp̄la, cuius gloriósa celebrámus sollém̄nia. Per.

**Historia de uno confessore et pontifice**

**Lectio prima**<sup>s</sup>

**A**D collocándum in Gállis domínicæ fidei fundaméntum, magníficos viros supérna píetas destinávit: Lugdunénsibus Phótinum, Arelaténsibus Trophínum, Nárbone Páulum, Tholóse Satúrninum, Arvenis Astremónium, Parisiácis Dionýsium, Cenománicis Iuliánum. Hic autem Iuliánus mundána generositáte claríssimus, sanctitáte insígnis, mérito fidei celébris, primus est destinátus a Deo apóstolus Cenománicæ urbis. Nam signum apostolátus eius ipsi Cenomanicéenses sunt in Dómino. Tu.

**Lectio secunda**

**Q**UI vir Dei, fide múnitus, gládio Spírítu Sancti accínctus, ad destruéndos erróres, ad conculcándas dæmónum varietátes, ad urbem supradíctam accéssit intrépidus. Per manus autem supradícti pontíficis tantas Christus operabátur virtútes, ut verbo dæmónes fugáret, leprósos mundáret, cunctisque languéntibus opem crucis medicámine concéderet. Cum vero ad eum plúrimi cuncúrrerent, pro adipiscénda salúte córporum, illumináti verbo fidei, cum salúte redíbant animárum. Tu autem.

**Lectio tertia**

**S**ANE cum iam multi miraculórum et fidei luce radiánti, eius sancto contubérnio inhærerent, pro convehénda aquæ penúria coram eo, cónqueri cœpérunt. Tunc vir Dei báculum, quem gestábat, humi defígens, cunctis audiéntibus dixit: « Dómine Deus noster, qui sitiénti pópulo in herémo de dura silice potum tribuísti, iube nobis de durícia húius tellúris ministrári fontem aquæ vivéntis, ut cognóscant præséntes, quia tu es Deus, qui misísti fílium tuum, salvatórem mundi. » Tu autem.

---

<sup>s</sup> Letaldus Micianensis: Vita sancti Iuliani Cenomanensis. PL 137 0785.

## Lectio quarta

**C**UMQUE finisset orationem, subito erupit fons vivacissimus, qui et potentiam divinitatis, et meritum beati viri liquido cunctis ostenderet. Sanctus Iulianus, multis virtutibus clarus, plantata in pago Cenomanico divini cultus vinea, caelestis vitae dulcedinem instanter suis propinabat auditoribus. Tu.

## Lectio quinta

**C**UMQUE tempus immineret, quo beatus ille agricola percepturus fructum laboris sui, ad aeterna debet conscendere regna, ad quemdam vicum, non longe ab urbe secedens, in quo remotus Deo vacare solebat, levi tangitur febricula. Ubi suis fratribus filiisque vocatis, oculisque ac manibus in caelum elevatis, diutissime Domino gratias agens, ovesque, quas Christo acquiserat, eidem commendans, beatis meritis ditatum, caelo reddidit spiritum. Tu.

## Lectio sexta.

**E**A hora defensore principe ad mensam sedente, vidit beatum Iulianum sacerdotali infula comptum, cum tribus diaconibus tres cereos portantibus, ad se venientem. Qui cereis coram eo super mensam positis, abierunt. Praefatus ergo defensor, quod ipse solus intuebatur miraculum, assidentibus declarans ait: « Surgamus, et ad sepeliendum pium magistrum nostrum quamtotius properemus, pro certo enim scimus, quia migravit a saeculo. » Mox ergo surgunt, et ad exequias sancti pastoris cum tota urbe festinanter concurrunt. Cuius quidem corpus humana est lege sepultum, anima vero vere se in Christo vivere demonstrat frequentissima consolatione viventium. Tu autem.

**Homelia:** Homo quidam peregre.

## SECUNDO AGNETIS.

Ad vespas

**Antiphona:** Ingressa Agnes. **ut supra.** **Ps. de virginibus.** **Capitulum:** Confitebor. **Responsorium:** Pulchra facie. **Hymnus:** Virginis proles. **Versiculus:** Specie tua, et pulchritudine tua.

## Ad Magnificat antiphona



Stans beáta Agnes in médio flammæ, expánsis mánibus, orábat ad Dóminum: Omnípotens adoránde, colénde, treménde, benedíco te, et glorífico nomen tuum in ætérnum.

## Oratio

**D**EUS, qui nos ánnua beátæ Agnétis mártiris tuæ sollemnitáte lætíficas, da, ut quam venerámur officio, étiam pie conversatiónis sequámur exémplo. Per.

## Historia ut in die, ut supra.

## Lectio prima

**C**HRISTI vírgines solam vírginem, matrem lúminis subsequébántur. Húius pedisséqua Agnes beatíssima, magnum de se pudicítie demonstrávit exémpulum, cum virginitátem prótulit vitæ. Omnémque a se terrénum amórem per amórem cæléstem expéllens, trophæum Christi arrípuit, et tam contra libídines, quam étiam contra univérsa supplícia, fide pótius armáta, quam ferro, fréquenter dímicat et vincit. Aspícit dénique blandiéntem, et rénuít iúdicem minántem. Nescit aliquid amáre, quod transit, et dum nimis virginitátem díligit, nec ludíbria, nec flammæ, nec supplícia, nec carnífices métuit. Postrémum nec gládium sæviéntis expávit. Tu autem.

## Lectio secunda

**C**OMPÉLLITUR virgo ornáménta suscipere carnis, sed rénuít, quóniam iam suscéperat mentis. Non de elegántia córporis humáni plácere stúduit, quia de fœditáte ánimæ Dómino displicére timébat. Díscite, vírgines, Christi corónam puelláris exémplici, et obláta sub spécie pietátis munúscula virórum tota intentióne réspuite, et quasi rábidi canis morsus, omni cum gáudio recusáte. A quo non áccipis, quod tíneas Dei, non accípias, quod díligas mundi. Accipe, virgo, sed quod amóri ætérno proficiat. Quotiescúmque ab hómine consecúta fúeris censum, sic áccipe, ut te sponsam Christi cognóscas. Tu autem.

## Lectio tertia

**V**IDÉTE ergo fratres, quóniam Mariám séquitur Agnes per oppróbria. Nullum pénitus pótuit formidáre supplicium, cui étiam lúpanar turpitúdinis, locus oratiónis effícitur. Et ubi diábolus ei ignominiáni corruptiúnis præparáverat, illic eam excípere fecit Dóminus coronám suæ virginitátis et palmam. Effícitur oratórium angelórum, ubi locus perditárum fúerat animárum. Et ubi semper naufragáverat cástitas, illic est coronáta virgínitas. Dénique pópulos, quos præco ad libídinem invitáverat, virgo ad captivitátem obtínuit. Et quos ad eam diábolus inquinátos addúxit, illa a se mundos eíecit. Et toti facti sunt Christi cultóres, quos diábolus putáverat se invenisse vírginis corruptóres. Tu autem.

## Lectio quarta

**I**GITUR, dum paréntes beátæ Agnétis assídus pernoctatióibus vigilárent ad túmulum eius, vident in médio noctis siléntio exercitum vírginum, quæ omnes áuro textis cycládibus indútæ, cum ingénti lúmine præteríbant. Inter quas vident beatíssimam Agnem símili veste fulgéntem, et ad dexteram éius Agnum, nive candidiorem. Hæc itaque dum vidérent paréntes éius, et qui simul erant, stupórem mentis incúrrunt. Sed beáta Agnes rogat sanctas vírgines parúmper gradum fígere, et stans paréntibus suis dixit: « Vidéte, ne me quasi mórtuam lugeátis, sed congaudéte mihi, et congratulámini, quia cum his ómnibus lúcidas sedes accépi, et illi sum iuncta in cælis, quem in terris pósito, tota ánimi intentiúnem diléxi. » Et his dictis pertránsiit. Et visio públice ab ómnibus, qui viderant, quotídie vulgabátur. Tu autem.

## Lectio quinta

**U**NDE factum est, ut post aliquántos annos ad Constántiam, Augústi fliam, hoc factum ab his, qui viderant, narrarétur. Erat autem ipsa Constántia regína virgo prudentíssima, sed ita obséssa vulneribus, ut a cápite usque ad pedes nulla membrórum pars líbera permansisset. Accépto autem consílio, spe recuperándæ sanitátis, venit ad túmulum mártiris nocte, et licet pagána, tamen crédula ánimi intentiúnem preces fundébat. Quod dum fáceret, repéntina somni suavité corrípitur, et videt per visum Agnem beatíssimam, táliter sibi mónita proferéntem: « Constánter age, Constántia, crede Dóminum Iesum Christum filium Dei esse salvatórem tuum, per



quem modo conséqueris ómnium vúlnerum, quæ in tuo páteris córpore sanitátem. » Ad hanc vocem Constántia evígilat sana, et sic sana, ut nec signum in eius membris alicúius vúlneris remanéret. Tu autem.

Lectio sexta

**R**EVÉRSA ígitur ad palátium saníssima, facit gáudium, et patri Augústo, et frátribus imperatóribus. Coronátur cívitas tota, fit lætítia militántibus, et privátis, atque univérsis audiéntibus hæc. Infidélitas géntium confundebátur, et fides domínica lætabátur. Intérea patrem et fratres Augústos rogábat, ut basílica beátæ Agnes construerétur, et sibi illic mausóleum collocári præcépit. Currit hæc opínio ad omnes, et quotquot ad eius túmulum veníssent, salvabántur, quacúmque infirmitáte fuíssent deténti. Quod fácere Christum nullus ámbigat usque in hodiérnum diem. Perseverávit autem Constántia, Augústi fília, in virginitáte, per quam multæ vírgines: et medióces, et nóbiles, et illústres sacra velámina suscepérunt. Et quia fides mortis damna non pátitur, usque in hodiérnum diem multæ vírgines Románæ Agnem beatíssimam, quasi in córpore manéntem atténdunt, et eius exémplo ágéntes viríliter, et intégræ perseveránt, credéntes sine dúbio, quod perseverántes perpétuæ victóriæ palmam acquirant. Hæc ego, Ambrósius, servus Christi, dum in volumínibus divínis scriptum inveníssem, non sum passus infructuóso siléntio tegi. Tu autem.

Cetera ut supra in die suo per totum.

## IN FESTO SANCTÆ ALDEGUNDIS VIRGINIS.

Oratio

**D**EUS, totíus amátor pudicitíæ, nobis almæ vírginis Aldegúndis méritis et præcibus auxiliáre, quæ cum sponso sibi dilécto, Dómino nostro, Iesu Christo, perénni gloriátur sollemnitáte. Per.

## IN FESTO SANCTÆ BRIGIDÆ VIRGINIS

Capitulum: Qui gloriátur

## Oratio

**D**EUS, qui in beáta Brígida, et fídei méritum, et virginitátis integritátem consecrásti, concéde propítius, ut apud misericórdiam tuam eius précibus adiuvémur, cuius castitátis exémplic irradiámur. Per.

**Homelia:** Símile est regnum cælórum decem virgínibus.

## IN PURIFICATIONE MARIÆ VIRGINIS

## Ad vesperas

**Antiphona:** O, admirábile commértium. **Ps.** Laudáte, púeri Dóminum.

## Capitulum

**H**ÆC dicit Dóminus: «Ecce, ego mitto ángelum meum, qui præparábit viam ante fáciem meam, et statim véniet ad templum sanctum suum dominátor, quem vos quáeritis., et ángelus testaménti, quem vos vultis. Deo.

## Responsorium



**G**áude, María virgo, cunctas hæréses sola intermisísti, quæ Gábrielis archángeli dictis credidísti, \* dum virgo Deum et hómínem genuísti, et post partum virgo invioláta permansísti. **V.** Gábrielem archángelum scimus divínitus te esse affátum, úterum tuum de Spírítu Sancto crédimus impregnátum, erubéscat iudáeus infélix, qui dicit Christum ex Ioseph sémine esse natum. **Dum.**

## Hymnus



**Q**uod chorus vatum venerándus olim  
Spírítu Sancto cecínit replétus,  
in Dei factum genitríce constat  
esse María.

**H**æc Deum cælo dominúmque terræ  
virgo concépit peperítque virgo,  
atque post partum mérui manére  
invioláta.

**Q**uem senex iustus Símeon in ulnis  
in domo sumpsit, Dómini gávísus  
hoc, quod optávit, próprio vidére  
lúmine Christum.

**T**u libens votis, pétimus, precántum  
regis ætérni génitrix, favéto  
claráque celsi retínens Olýmpi  
regna petísti.

**S**it Deo nostro decus et potéstas,  
sit laus perpes, sit honor perénnis,  
quo poli summi resídet in arce  
trinus et unus.

**A**men.

*Versiculus*

**V.** Post partum virgo invioláta permansísti.

**R.** Dei génetrix, intercède pro nobis!

*Ad Magnificat antiphona*



**S**enex púerum portábat, puer autem senem regébat, quem virgo  
péperit, et post partum virgo permánsit, ipsum, quem génuít,  
adorávit.

*Oratio*

**O**MNÍPOTENS sempitérne Deus, maiestátem tuam súpplíces  
exorámus, ut sicut unigénitus fílius tuus hodiérna die · cum  
nostræ carnis substántia in templo est præsentátus, ita nos fácias  
purificátis tibi méntibus præsentári. Per.

## Ad completorium

**Ps.** Cum invocárem, exaudivit me Deus.

**Hymnus**



**L**ux mundi beatíssima  
 María, splendidíssima,  
 cæli terræque nobilitas  
 sanctórum et festívitatis.

**P**er te mundus salvátus est,  
 per te sursum levátus est,  
 per te mors damnáta est,  
 per te vita donáta est.

**T**e adesse depóscimus  
 supplicibus nunc vóci-  
 bus, iam veni, dulcis dómina,  
 nostra tolle incómmoda.

**D**ona confer cælestia,  
 vitæ beátæ præmia,  
 instánti prece flágita  
 in tui nati pátria.

**C**oncédatur tuus fílius  
 hoc, Iesus benigníssimus  
 cum Patre et Paráclito,  
 qui regnat sine spátio.

**Amen.**

**Capitulum**

**E**T placébit Dómino sacrificium Iuda Hierúsalem, sicut dies  
 sæculi, et sicut anni antíqui, dicit Dóminus omnípotens.

**Versiculus:** Gáude, María virgo.

Ad Nunc dimittis antiphona



**V**irgo verbo concépit, virgo permánsit, virgo péperit regem ómnium regum.

**Oratio:** Famulórum tuórum. Deus, qui illúminas.

## Ad matutinas

Invitatorium



**E**cce, venit ad templum sanctum suum dominátor Dóminus. \*  
Gáude, et lætare Sion occúrrens Deo tuo. **Ps.** Veníte, exultémus.

## In primo nocturno

Antiphona



**B**enedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. **Ps.**  
Dómine, dóminus noster.

Antiphona



**S**icut myrrha elécta, odórem dedísti suavitátis, sancta Dei génitrix.  
**Ps.** Cæli enárrant glóriam.

Antiphona



**A**nte thorum huius vírginis frequentáte nobis dúlcia cántica dramátis. **Ps.** Dómini est terra et plenitúdo.

**Versiculus:** Speciōsa facta es.

**Lectio prima**<sup>h</sup>

**H**ODIERNUS dies magnum nobis cōtulit gāudium, in quo Christus infans in templo est præsentiātus. Exúltent vírgines, virgo péperit Christum. Nihil in ea, quod vovit, putent exterminátum, mansit virgo post partum. Exúltent víduæ, infántem Christum vídua Anna cognóvit. Exúltent coniugátæ, nascitúrum Christum Elisabeth nupta prophetávit. Nullus gradus prætermissúrus est, de quo non habéret testimónium salus ómnium. Numquid enim solæ vírgines ad regnum cælórum pervéniunt? Pervéniunt et víduæ. Sancta Anna a virginitáte sua septem annis cum viro suo víxerat, quo defúncto, usque ad sénilem ætátem pervénerat, et senectúte sancta expectábat infántiam Salvatóris, ut párvulum vidéret annósa, parvum cognósceret anícula, intrántem in mundum Salvatórem vidéret itúra. Et in masculíno sexu tria ipsa génera commendáta sunt. Tu autem.

**Responsorium**



**A**dórna thálamum tuum, Sion, et súscipe regem, Christum, \* quem virgo concépit, virgo péperit, virgo post partum, quem génuvit, adorávit. **V.** Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens benedíxit Dóminum. **Q**uem virgo concépit.

**Lectio secunda**

**I**PSE enim Christus puer natus est, exúltent púeri, continéntiam vovéntes púero. Ipse vero integritátem puerítiæ consecrávit vírgini suæ matri, fecunditátem áttulit, virginitátem vero non ábstulit. Símeon ille senex diu víxerat, cuius ætas comparátur Annæ, et audíerat respónsum, quod non esset visúrus mortem, nisi vidísset Christum. Intelligíte, fratres, quátenus desidérium habébant antíqui sancti vidére Christum. Sciébant illum esse ventúrum, et omnes, qui cupiébant, dicébant: « O, si me hic invéniat illa natívitas! O, si quod credo in scriptúris Dei, vídeam óculis meis! » Et ut novéritis, quátenus desidérium habébant sancti, qui nóverant de scriptúris vírginem paritúram, audístis, cum Isaías legerétur: « Ecce, virgo -

<sup>h</sup> Augustinus Hypponensis: Sermo de Nativitáte Dómini (PL 38 370)

inquit – in útero accípiet et páriet fílium, et vocábitur nomen eius Emmánuel. » Tu autem.

Responsorium



Senex púerum portábat, puer autem senem regébat, \* quem virgo concépit, virgo péperit, virgo post partum, quem génuít, adorávit. **V.** Accípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens, benedíxit Dóminum. **Q**uem virgo concépit.

Lectio tertia

**E**MMÁNUEL quid sit, evangélium nobis apéruit dicens: « Quod interpretátur: nobiscum est Deus. » Non tibi ergo fit quaecúmque infidéls ánima absúrdum, non tibi videátur impossíbile, ut virgo paréret, virgo páriens permanéret. Intéllige natum Deum, et non miréris vírginis partum. Ut ergo novéritis antíquos sanctos et iustos optásse vidére, quod concéssum est huic seni Símeóni, Dóminus noster, Iesus Christus ad discípulos loquens ait: « Multi iusti et prophétæ voluérunt vidére, quæ vos vidétis, et non vidérunt, et audíre, quæ áuditis, et non audiérunt. » Multum senex iste fuit ad audiéndum serus, sed ad vidéndum matúrus. Non exspectávit, ut Christum vidéret [!] loquéntem, quóniam vidit infántem. Et hoc illi iam concéssum erat decrepito, quasi desideránti et suspiránti et dicénti quotidie in oratióibus suis: « Quando véniet? quando nascétur? quando vidébo? Putas durábo? putas hic me invéniet? putas isti óculi mei vidébunt, per quem cordis óculi revelabúntur? » Dicébat ista in oratióibus suis, et pro desidério suo accépit respónsum, quod non gustáret mortem, nisi vidéret Christum Dómini. Tu autem.

Responsorium



Símeon iustus et timorátus exspectans redemptionem Israël, \* et Spíritus Sanctus erat in eo. **V.** Respónsum accéperat Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. **E**t Spíritus Sanctus.

## In secundo nocturno

### Antiphona



Spécie tua et pulchritúdine tua inténde, prospere, procéde et regna.

Ps. Eructávit cor meum.

### Antiphona



Adiuvábit eam Deus vultu suo, Deus in médio eius non commovébitur. Ps. Deus noster refúgium.

### Antiphona



Sicut lætántium ómnium, nostrum habitátio est in te, sancta Dei génitrix. Ps. Fundaménta.

Versiculus: Dignáre me laudáre.

### Lectio quarta

**G**ESTÁBAT Christum María, mater eius, infántem, vidit Símeon, et agnóvit, ubi nóverat, quod agnóvit. Intus est revelátus, qui foris est natus. Vidit, et agnóvit. Agnóvit Símeon infántem tacéntem, et occidérunt Iudæi iúvenem mirabília faciéntem. Cum ergo cognovísset, accépit eum in ulnas suas, hoc est, in bráchia sua, amplexátus est eum. Portábat, a quo portabátur. Ipse enim est sapiéntia Dei, Christus, attingens a fine usque ad finem fórtiter, et dispónens ómnia suáviter. Quantus ibi erat, et quam magnus, quam parvus factus erat. Parvus factus, parvos quærébat. Quid est, parvos quærébat? Non supérbos, sed húmiles colligébat. In præsépe dignátus est poni, ut esset piórum cibária iumentórum. Tu autem.



## Responsorium



**R**espónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi vidéret Christum Dómini, et benedíxit eum, et dixit: Nunc dimíttis servum tuum in pace, \* quia vidérunt óculi mei salutáre tuum, Dómine. **V.** Lumen ad revelatiónem géntium, et glóriam plebis tuæ Israél. **Q**uia vidérunt.

Lectio quinta<sup>1</sup>

**V**ÓLUMUS vobis brévitè expónere, o, fratres, unde cœpit sollémnitas purificatiónis Dei genitrícis, quam hódie celebrátis, et quid cérei significant, quos offértis. Sollémnitas ista processit ex lege. Præcépit enim Deus in lege, ut mulier, quæ de viro suo concéptum primogénitum paréret, quadragésimo die nativitátis præsentáret eum in templo cum hóstiis: et hic dies purificatiónis vocabátur. Quod præcéptum purificatiónis et oblatiόνis implevérunt áliæ matres ex necessitáte, quia pollútæ et peccatrícis erant. Quando vero Christus natus est de beatíssima vírgine María, ipsa non indigébat legáli purificatióne, quia munda erat. Humilitátis tamen et obædiéntiæ cáusa legi se subdens vóluit obædíre legi, ut purificarétur, quamvis non indigéret, obtulit in templo Dei filium suum cum hóstiis quadragésima die nativitátis, sicut est hódie. Sed præsentatió illa insígnis fuit, et gloriósa. Tu autem.

## Responsorium



**S**uscípiens Iesum in ulnas suas, Símeon exclamávit et dixit: Tu es vere lumen ad illuminatiónem géntium, \* et glóriam plebis tuæ Israél. **V.** Respónsum accépit Símeon a Spíritu Sancto, non visúrum se mortem, nisi prius vidéret Christum Dómini. **E**t glóriam.

## Lectio sexta

**M**OVÉNTÈ enim Spíritu Sancto, occúrrit illis sanctus prophéta Símeon, et Anna, sancta vídua et prophetíssa, laudántes et benedicéntes Deum de advéntu Christi, sicut légitur in Evangélio, et

<sup>1</sup> Fulbertus Carnotensis: Sermónes ad pópulum, Sermo III. de purificatióne beátæ Mariæ (PL 141 0319B)

de vaticínis novis, nova pópulo orácula præbéntes. Christus namque in carne véniens, o, fratres, ostendébat páriter et humanitátis exémpulum, et divínæ pietátis indícia. Sicut in nativité sua, cum iacéret humíliter in præsépio, nova stella, et láudibus angélicis declarabátur in cælo, sic et modo cum párvulus infántulus præsentarétur in templo, ad declarándam deitátem suam in carne laténtem, corda prophetárum illuminábat Spírítu Sancto. Nos ergo, qui illum verum Deum et hóminem adorámus, in memóriam præsentatiónis eius in templo celebrámus hunc diem, cum oblatiône cereórum, per lumen cérei divinitátem, per ceram significántes carnem ipsíus virginálem. Apis enim mellis, et ceræ ópifex, sine coítu maris et féminæ procreátur. Patet ergo, quia præsentátio Christi in templo procéssit ex obœdiéntia legis, et nostra significátiva oblátio procéssit ex dulci et venerábili memória suæ præsentatiónis. Nunc ergo, o, fratres, sciéntes, de quam bonis princípíis ista sollémnitas pródiit, et quam piam sanctámque significatiónem nostra oblátio gerit, sollemnitátem divínis láudibus et bonis opéribus exornémus, et oblatiónem pio peragámus afféctu. Rogémus piíssimam Dómini matrem, ut ipsa nos, et múnera nostra, Filio suo gratificáre dignétur. Tu autem.

#### Responsorium



**V**idéte miráculum: mater Dómini concépit virgo, viríle ignórans consórtium, \* stans oneráta nóbili ónere María, et matrem se lætam cognóscit, quæ se nescit uxórem. **V.** Virgo<sup>i</sup> concépit, virgo péperit, et post partum virgo permánsit. **S**tans oneráta.

## In tertio nocturno

#### Antiphona



**H**æc est, quæ nescívit thorum in delícto, habébit fructum in respectiône animárum sanctárum. **Ps.** Cantáte **primum**.

<sup>i</sup> Javitva erról: vigor

## Antiphona



**G**áude, María virgo, cunctas hæréses sola intermisísti in mundo. **Ps.** Dóminus regnávít, exúltet.

## Antiphona



**P**ost partum virgo invioláta permansísti, Dei génitrix, intercède pro nobis. **Ps.** Cantáte **secundum**.

## Versiculus

**V.** Elégit eam Deus, et praelégit eam.

**R.** Et in tabernáculo suo etc.

Secúndum Lucam.

**I**N illo témpore, impléti sunt dies purgatiónis Mariæ, secúndum legem Moýsi, tulérunt illum in Hierúsalem, ut sístèrent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini, quia omne masculínium adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. Et réliqua.

**Lectio septima** Homélia venerábilis Bedæ presbýteri.<sup>k</sup>

**S**OLLEMNITÁTEM nobis hodiernæ celebritátis, quam quadragésimo dominicæ nativitátis die débitis venerámur officiis, máxima eiúsdem Dómini Salvatóris nostri, simul et intemerátæ genitricis eius humilitáte dedicáta, sacra Evangélii léctio designat, expónens eos, qui legi nil debébant, impléndis se legálibus per ómnia subdidisse decretis. Sicut enim modo cum legerétur, audívimus: *Postquam impléti sunt dies purgatiónis eius – vidélicet matris illíus – secúndum legem Moysi, tulérunt illum in Hierúsalem, ut sístèrent eum Dómino, sicut scriptum est in lege Dómini, quia omne masculínium adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur.* Tu autem.

<sup>k</sup> Beda: Homíliæ, Homília XV. In purificatióne Beátæ Mariæ, (PL 94 0079A)

## Responsorium



Postquam impléti sunt dies purgatiónis Mariæ, secúndum legem Moysi tulérunt illum in Hierúsalem, ut sístèrent eum Dómino. Sicut scriptum est in lege Dómini, \* quia omne masculínium adapériens vulvam, sanctum Dómino vocábitur. **V.** Obtulérunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum. **Quia.**

## Lectio octava

**P**RÆCÉPIT namque lex, ut múlter, quæ suscépto sémine peperísset fílium, immúnda esset septem diébus, et in die octáva circumcíderet infántulum, noménque aptáret, deínde étiam álios trigínta tres dies ab ingrèssu templi ac viri thoro abstíneret, donec quadragésimo nativítatis die fílium cum hóstiis ad templum Dómini deféret. Primogénitum autem omne masculíni sexus, sanctum Dómino vocári, atque ídeo munda quæque offérri, immúnda autem mundis mutári, vel occídi, et hóminis primogénitum quinque siclis argénti debére rédimi. Si autem féminam peperísset múlter, immúnda fieri iussa est quatuórdecim diébus, et sexagínta sex áliis diébus a templi ingrèssu suspéndi, donec octogésimo nativítatis die, quæ dies purgatiónis eius vocabátur, illo se, suámque sóbolem hóstiis sanctificatúra veníret, ac sic demum ad thorum viri líbera redíret. Tu autem.

## Responsorium



**H**ódie beáta virgo María púerum Iesum præsentávit in templum, et Símeon replétus Spírítu Sancto, \* accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum in ætérnum. **V.** Nunc dimíttis servum tuum, Dómine, secúndum verbum tuum in pace. **Accépit.**

## Lectio nona

**I**NTUEÁMUR, fratres caríssimi, diligéntius verba legis, quæ proposúimus, et vidébimus apertíssime, quam beatíssima Dei génitrix, et perpétua virgo María, simul cum Fílio, quem genuit, ab omni fúerit legis subiectiône libérrima. Cum enim dicat lex, mulíerem, quæ suscépto sémine peperísset, immúndam decérni, et

per longa tēpora simul cum prole sua, quam genuisset, oblātis Deo vīctimis debēre mundāri, patet profēcto, quia illam, quæ sine virīlis susceptiōne sēminis virgo pēperit, una cum Filio, qui natus est ei, neque immūdam describat, neque per hōstias salutāres dóceat esse mundādam. Sed sicut Dóminus ac Salvātor noster, qui divinitātis legem dedit, appārens in hómīne, fieri vóluit sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redímeret, ut adoptiōnem filiōrum reciperémus. Ita étiam beāta gēnitrix illius, quæ singulāri privilégio supra legem fuit, pro ostendēdo tamen humilitātis exēplo, legālibus subdi non refúgit institútis, iuxta illud viri sapiētis: « Quanto magnus es, humília te in ómnibus. » Tu autem.

#### Responsorium



Cum indúcerent púerum Iesum paréntes eius, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, et dixit: \* Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace. **V.** Quia vidérunt óculi mei salutāre tuum. **Nunc dimíttis.**

## Ad laudes

#### Antiphona



Símeon iustus et timorátus exspectábat redemptiōnem Israēl, et Spíritus Sanctus erat in eo. **Ps.** Dóminus regnāvit.

#### Antiphona



Respónsum accépit Símeon a Spírītu Sancto non visúrum se mortem, nisi Dóminum.

## Antiphona



**A**ccípiens Símeon púerum in mánibus, grátias agens, benedíxit Dóminum.

## Antiphona



**O**btulérunt pro eo Dómino par túrturum, aut duos pullos columbárum.

## Antiphona



**N**unc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace, quia vidérunt óculi mei salutáre tuum.

## Capitulum, ut supra.

## Hymnus



**Q**uem terra, pontus, áethera colunt, adórant, prædicant, trinam regéntem máchinam cláustrum Mariæe báiuulat.

**C**ui luna, sol et ómnia desérviunt per témpora, perfúsa cæli grátia, gestant puéllæ víscera.

**M**irántur ergo sáecula, quod ángelus fert fámina [!] quod áure vírgo concépit, et corde credens párturit.

**B**eáta mater múnere,  
cuius supérnus Artifex,  
mundum pugillo cóntinens,  
ventris sub arca cláusus est.

**B**enedícta cæli núntio,  
fecúnda Sancto Spírítu,  
desiderátus géntibus  
cuius per alvum fusus est.

**O**, gloriósa Dómina,  
excélsa super sídera,  
qui te creávit, próvide  
lactásti sacro úbere.

**Q**uod Eva tristis ábstulit,  
tu reddis almo gérmine,  
intrent, ut astra flébiles,  
cæli fenéstra facta es.

**T**u, regis alti iánua,  
et porta lucis fúlgida,  
vita data per vírginem,  
gentes redémtæ, pláudite.

**M**aría, mater grátia,  
mater misericórdia,  
tu nos ab hoste prótege,  
in hora mortis súscipe.

**G**lória tibi Dómine,  
qui natus es de vírgine,  
cum Patre et Sancto Spírítu,  
in sempitérna sáecula.

**A**men.

**Versiculus:** Gáude, María virgo.

Ad Benedictus antiphona



Cum inducerent púerum Iesum paréntes eius, accépit eum Símeon in ulnas suas, et benedíxit Deum, dicens: Nunc dimíttis, Dómine, servum tuum in pace.

Oratio ut supra.

## Ad primam

**Hymnus:** Iam lucis. María mater grátiae. Glória tibi, Dómine, qui natus. **Antiphona:** Símeon iustus. **Ps.** Deus, in nómine tuo salvum me, cum ceteris. **In fine:** Laudáte Dóminum omnes gentes. **Capitulum:** Et placébit Dómino, ut supra, in Completorio. **Responsorium:** Iesu Christe. **V.** Qui natus es. **Versiculus:** Gáude, María virgo. **Oratio:** Famulórum tuórum. Dómine, sancte Pater. **Preces.** Exultábunt.

## Ad tertiam

**Antiphona:** Respónsum accépit Símeon. **Ps.** Legem pone mihi, Dómine. **Capitulum:** Hæc dicit Dóminus: Ecce, ego mitto, ut supra. **Responsorium:** Speciósa facta es.

## Ad sextam

**Capitulum:**

**E**CCE, venit, dicit Dóminus exercítuum, et quis póterit cogitáre diem advéntus eius, et quis stabit ad vidéndum eum? Ipse enim, quasi ignis conflans, et quasi herba fullónum, et sedébit conflans et emúndans argéntum, et purgábit filios Levi.

**Responsorium:** Dignáre me.

## Ad nonam

**Capitulum**

**E**T colábit eos, sicut áurum, et quasi argéntum, et erunt Dómino offeréntes sacrificia in iustítia, et placébit Dómino sacrificium



Iudæ et Hierúsalem, sicut dies sæculi, et sicut anni antíqui, dicit Dóminus omnipotens.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Tecum princípium in die virtútis tuæ, **ut supra in die Nativitatis Domini, per ordinem, cum suis psalmis.** **Capitulum:** Ecce, ego mitto ángelum. **Responsorium:** Verbum caro factum. **V.** Post partum virgo invioláta. **Hymnus:** A solis ortus cárdine.

**Ad Magnificat antiphona**



**H**ódie beáta virgo María púerum Iesum præsentávit in templum, et Símeon replétus Spíritu Sancto, accépit eum in ulnas suas, et benedíxit Deum in ætérnum.

**Oratio:** Omnípotens sempitérne Deus, **ut supra in primis vespers.**

## Ad completorium

**Ps.** Cum invocárem. **Hymnus:** Corde natus ex paréntis, **ut supra.** **Capitulum:** Pópulus géntium. **Versiculus:** Verbum caro.

**Ad Nunc dimittis antiphona**



**E**cce, compléta sunt ómnia, quæ dicta sunt per ángelum de vírgine María.

**Oratio:** Famulórum tuórum. Deus, qui illúminas.

## IN FESTO SANCTI BLASII MARTYRIS

**Capitulum:** Beátus vir, qui in sapiéntia.

**Oratio**

**B**EÁTI Blásii martýris tui atque pontíficis intercessióne, quæsumus omnipotens Deus, nóxios semper incúrsus cómpreme, et salutáre tempóribus nostris propítius da quiétem. Per.

## Lectio prima

**T**EMPÓRIBUS Licínií imperatórís, qui Constantíni Augústi sorórem habébat, et rerum summam in oriénte tenébat, dira in Christiános persecútio facta est. Nam, in tripártita história refértur, Licínius bello a Constantíno fugátus, cum prius fuisset sectátor dogmátis Christiáni, mutáta voluntáte, plúrimos sacerdotum in suæ partis afflíxit império, multos tamen et aliórum, præcípue tamen de collégio militári. Erant autem in Sebástia plures, quos huius nóminis título ligábat, et ídeo persecutiónis eos tempéstat involuébat. Verúmtamen ómnium, qui ibídem eo témpore passi sunt, primus et dux ac sígnifer erat sanctus Blásius epíscopus. Síquidem omnes, qui in Sebástia erant, tam clerus, quam pópulus, vitæ eius sanctitáte, et morum modéstia delectáti voto concórdi eum eiúsdem civitátis epíscopum elegérunt.

## Lectio secunda

**F**ACTUS ígitur epíscopus beátus Blásius, summum sacerdotium se meruisse, et meritórum excelléntia, et grátia doctrínæ, et miraculórum signis declarávit. Verum, quia gravis persecútio imminébat, iuxta domínicum exemplum vel præcèptum, persecutorum rábiem declínans, in monte quodam, qui Argey vocátur, secéssit. Ubi quamvis ab humána frequéntia desolátus esset, a divína tamen consolatióne non est destitútus. Nam et crebris a Dómino visitatió nibus fovebátur, et plerúmque Dóminus ferárum accessi óne solitúdinem suam consolabátur. Undíque enim per montis circúitum, et eius spelúncam, quasi Dómino obsecutú ræ confluébant, et síquidem áliquam ex illis gravi moléstia et dolore contigisset vexári, ab illo, tamquam a vero mé dico nutu, quo póterant, postulábant, neque ab ipso, prius, quam manum eius póneret, et benedíceret, discedébant. Tu.

## Lectio tertia

**E**RAT autem in illis locis múlier quædam, quæ únicum habébat fílium. Hic dum piscem manducáret, ossículum piscis gútturi eius inhæsit, neque ulla ratióne pótu it evélli. Cumque e dolore iam vicínus morti esse viderétur, ánxia mater currens huc illúcque, et fílii cruciátus suos esse députans, quo se vérttere, quídve ágeret, prorsus incérta manébat. Intérea cóntigit beátum Blásium ibídem cum militibus, qui eum ducébant, tránsitum habére. Itaque múlier, fama virtútum eius audíta, una cum fílio festína ad eum cucúrrit, et fide

plena puérulum ante pedes eius proiécit, clamans eiulándo, et dicens: « Miserére mei, sancte Dei, et Salvatóris nostri, Iesu Christi, miserére viscéribus meis! » Cumque ei indicáret, quómo do piscis ossiculum, dum coméderet, eius gútturi inhæsisset, tunc sanctus Blásius, pro eo oratió nem fudit, et signum crucis gútturi eius imprímens, matri eum incólumem statim réddidit. Tu.

#### Lectio quarta

**E**RAT quoque ibi múlíer quædam vídua, senex et paupérula, hæc magis in substantiôla non habébat, nisi unum porcum tamen, sed lupus de improvísio ex silva advéniens, eum ábstulit, et silvas dénuo pétiit. Illa vero videns totum victum suum in porco sibi ablátum, sancti Blásii opem, qui eódem mométo supervénit, contra lupi rapínam supplex postulávit. Ipse vero, ut semper ómnibus in suis necessitatibus compatiébatur, et ita eius inópiam miserátus, dixit: « Noli, múlíer contristári, porcus tuum tibi redderétur. Ecce enim lupus páriter, quo fúgerat, recúrrens, porcum tuum tibi illæsum redúcet. Nec mora, dicto cítius sermo illíus adimplétur. » Necdum quippe verba finíerat, et ecce, lupus anhélans recúrrit, et porcum illæsum ante pedes mulíeris proiécit, et ílico cum festinatióne abscéssit. His áuditis, præses Agricoláus iussit eum apprehéndi, et pœnis multis afflíctum in cárcerem proíici. Tu autem.

#### Lectio quinta

**A**UDIENS hæc paupérula múlíer, cui porcum a lupo raptum sanctus Blásius restítuit, eúndem porcum occídi fecit, et coctum eius caput ac pedes cum terræ frúctibus in vásculum repónens, cum lumináribus ad eum properávit, dans munúsculum carcérário, ad eum in cárcerem intrávit, et ista pro benedictióne óbtulit. Ille vero eius devotióne et tam piæ voluntátis delectátus, cum gratiárum actióne de cunctis gustávit, sed et futúra pandens, et sui memóriam fácere petens, ait: « Scito múlíer córporis mei dissolutiÓNem instáre, et me quantócius per martýrium ad Dóminum transitúrum, et ídeo agónis mei triúmpho perácto, luminária in mei memóriam succénde, et si qua ad victum pértinent, pro facultáte tua da paupéribus et egénis in huius facti exémplo. Deus autem meus, qui dixit: quod uni ex mínimis meis fecístis, mihi fecístis, qui étiam ad preces servi sui Elíæ fecit, ut víduæ illi páuperi farína in hýdria non defíceret, nec óleum in lécytho minuerétur, ipse dómui tuæ numquam deésse, et te in præsénti et in futúro ómnibus bonis abundáre fáciet. Insuper et si

quis tuum exéplum imitátus, simília in mei memóriam fécerit, Dóminus bonórum ómnium hic, et in futuro ei in vitam aetérnam donáre dignétur. » His promíssis vel mandátis, domum múlter cum gáudio revérsa est, glorificans Deum. Et post passiónem beáti viri cuncta, quæ póterat, in memóriam sui distríbuit, sed tamen ómnia in incremento Deo donánte cœpérunt ei accrésce. Tu.

*Lectio sexta*

**H**ÆC et ália innumerábilia sancto viro per Dei auxílium operánte, præses Agricoláus ira comótus, cum multa torménta sibi intulísset, ad últimum iussit, ut cápite truncarétur. His sanctus martyr áuditus, de sui agónis fine iam secúrus, et Deo grátias agens, una cum spiculátore et púeris ad locum suæ decollatiónis properávit. Quo cum pervénisset, et orándi facultátem a spiculátore nactus esset, flexis génibus, et corde et óculis ac mánibus simul ad cælum levátis, in hunc modum orávit: « Dómine, Deus meus, qui me de idolórum erróre ad tuæ religiónis cultum vocásti, Christe, qui es lux vera, et omnes in te credéntes illúminas, oratiónem meam exáudi, quam pro tuo nómine decollándus ad te últimam fundo. Adésto, Dómine, ómnibus, et eórum ómnium vota súscipe, qui ad glóriam nóminis tui memóriam mei fécerint. Si quis autem infirmitáte áliqua prægravátus, vel in áliquo perículo pósitus, memor fúerit nóminis mei, et tuum auxílium cum mea intercessióne supplex imploráverit, ómnibus in suis tribulatiónebus, te per nomen meum interpellántibus, adesse dignáre. » Cui vox de nube insónuit, dicens: « Ego sum Deus tuus, athléta dilectíssime, qui glorificávi te, et adhuc glorificábo, proinde ómnia, quæ petísti, iuxta singulórum fidem et utilitátem adimplébo. » Finíta oratióne, spiculátor mox eiiciens eum a prætório, cum duóbus púeris amputávit cápita eórum, foris muros Sebástiæ urbis, die tértia februárii mensis. Tunc quædam múlter, Deum timens, nómine Helísea, sepelívit córpora eórum in loco, ubi decolláti sunt. In quo et mirábilia Dómini nostri, Iesu Christi usque in hodiérnum diem fiunt. Tu.

*Homélie:* Nihil opértum.

## IN FESTO SANCTÆ AGATHÆ VIRGINIS ET MARTYRIS

**Antiphona:** Veni, elécta mea. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** Dómine, Deus meus, exaltábo.

**Responsorium**



**G**audeámus omnes in Dómino, diem festum celebrántes, in honóre Agathæ mártiris, \* de cuius passióne gáudent ángeli, et colláudant fílium Dei. **V.** Immaculátus Dóminus immaculátam sibi fámulam, in hoc fragilitátis córpore pósitas, misericórditer consecrávit. **D**e cuius.

**Hymnus:** Vírginis proles. **Versiculus:** Spécie tua.

**Ad Magnificat antiphona**



**M**entem sanctam spontáneam, honórem Deo, et pátriæ liberatiónem.

**Oratio**

**D**EUS, qui inter cætera poténtiæ tuæ mirácula, étiam in sexu frágili victóriam mártýrii contulísti, concéde propítius, ut qui beátæ Agathæ vírginis ac mártiris tuæ natalícia cólimus, per eius ad te exémpla gradiámur. Per.

## Ad matutinas

**Invitorium**



**R**egem vírginum Dóminum \* veníte, adorémus. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

### Antiphona



Ingénua sum, et spectábilis genere, ut ómnis parentéla mea testátur.  
Ps. Dómine, dóminus noster.

### Antiphona



Summa ingenúitas ista est, in qua sérvitus Christi comprobátur. Ps.  
Cæli enárrant.

### Antiphona



Ancílla Christi sum, ídeo me osténdo servílem persónam. Ps. Dómini  
est terra.

Versiculus: Spécie tua.

### Lectio prima

**Q**UINTIÁNUS, procónsul Sicíliæ, áudiens sanctæ vírginis opinióem Deo dicátæ Agathæ, multifária intentiône satagébat, ut ad eam quoquo modo pertíngere potúisset. Per síngula enim certámina sordidíssimæ mentis suæ, eo, quod turpíssime víveret, singulórum vitiórum in se excitábat efféctus. Qui cum esset dégener et ignótus, volens apud áures vulgi, quasi pro hoc suam opinióem exténdere, si persónas sibi spectábiliū subiugáret, memorátam sanctam Christi vírginem Agathen suis præcipit aspéctibus exhibéri. Quam cum sibi oblátam in secretário conspéxit, cœpit útpote libidinósus in afféctu pulchritúdinis eius oculórum suórum concupiscéntia commovére. Ut avárum autem et rapax étiam ad facultátes suas suæ cupiditátis fræna laxábat. Ut vere idolórum cultor, et dæmónum servus, quippe scélere pietátis suæ posséssus, nomen Christi exhórrens audíre non póterat. Tu.

## Responsorium



Cum ingrederetur beata Agathes in cárcerem, dixit ad iúdicem: \* Impie, crudélis et dire tyránne, non es confúsus amputáre in fémina, quod ipse in matre suxísti? **V.** Ego autem hábeo mamíllas intégras intus in ánima mea, quas ab infántia Dómino consecrávi. **I.** Impie.

## Lectio secunda

**H**IS itaque et huiúsmodi fúriis comprehénsus, beátam Agathem iubet a suis apparitóribus coartári, atque eam cuídám matrónæ, Afrodísia nómine præcépit tradi. Quæ Afrodísia habébat novem filias turpíssimas, sicut erat et mater eárum. Hoc autem ídeo fecit, ut per dies trigínta quotídie blandírent ei, et si possent, áliqua ratióne eius ánimam mutárent. Afrodísia autem accípiens eam, adiúnc-tis filiábus suis secum, modo ínclita promitténdo, modo ásperis deterréndo, sperábat se mentem sanctam posse a bono propósito revocáre. Quibus sancta Agathes líbera voce dicébat: « Mens mea super petram solidáta est, et a Christo fundáta. Verba vestra venti sunt, promissiões vestræ plúviæ, terróres vestri flúmina sunt. Quæ quantúmvis impíngant in fundaméntum domus meæ, non póterit cádere, fundáta enim est super petram. » Hæc autem dicens, quotídie flebat et orábat. Et sicut sitiens in ardóre solis, non nisi fluénta fóntium concupíscit, ita illa nihil áliud desiderábat, nisi ad martýrii corónam perveníre. Tu autem.

## Responsorium



Vidísti, Dómine, et exspectásti agónem meum, quómodo pugnávi in stádio, sed quia nólui obædíre mandátis princípum, \* iussa sum in mamíllas torquéri. **V.** Propter veritátem et mansuetúdinem et iustítiam. **I.** Iussa sum.

## Lectio tertia

**V**IDENS ígitur Afrodísia nihil se pénitus valére, et beátæ vírginis mentem inconcússa atque immóbilem permanére: ábiit ad Quintiánum et dicit ei: « Facílius possunt saxa mollíri, et ferrum in plumbum convér-ti, quam ab intentiõe Christianórum mens puéllæ

istíus revocári. Ego enim, et filíæ meæ, novem vícibus succedebámus, et die ac nocte nihil áliud égimus, nisi ut eius ánimus ad consénsu nostri ánimi inclinarémus. Ego gemmas et ornáménta insígnia, et vestiménta áuro texta óbtuli, ego domos et prædía ac suburbána repromísi, ego várium ornáméntum domus, ego famílias divérsi sexus et ætátis exhíbui, sed illa, quasi terram, quam sui pédibus calcat, ita ómnia pro níhilo hábuit et dexspéxit. » Hoc áudiens Quintiánus, et ira commótu, iussit eam ad suum secretárium duci. Quæ cum adducerétur, Quintiánus sedens pro tribunáli, hoc sanctæ puéllæ inítium sermónis irrúpit: « Cuius conditiónis es? » Agathes dixit: « Non solum ingénua, sed et spectábilis géneré, sicut omnis parentéla mea testátur. » Quintiánus dixit: « Et si ingénua probáris et nóbilis, cur móribus servílem te persónam osténdis? » Agathes dixit: « Quia ancílla Christi sum, ídeo servílem me osténdo persónam. » Quintiánus dixit: « Certe, si ingénua et nóbilis eras, quómodo te ancíllam esse commémoras? » Agathes dixit: « Summa ingenúitas ista est, in qua sérvitus Christi comprobátur. » Quintiánus dixit: « Quid ergo nos ingenuitátem non habémus, qui servítium Christi contémnimus, et deórum cultúram adorámus? » Agathes dixit: « Ingenúitas vestra ad tantam captivitátem prævénit, ut non solum vos de peccáto fécerit obnoxios, verum étiam lignis et lapídibus obligáret. » Tu autem.

#### Responsorium



**Q**uis es tu, qui venísti ad me, curáre vúlnera mea? Ego sum apóstolus Christi, nihil in me dúbites, filia. \* Ipse me misit ad te, quem dilexísti mente et puro corde. **V.** Nam et ego apóstolis eius sum, et novi medicínam. **I**pse me.



## In tertio nocturno

### Antiphona



Agatha sancta dixit: Si feras mihi promíttis, audíto Christi nómine, mansuésunt. **Ps.** Eructávit cor meum.

### Antiphona



Si ignem adhíbeas, rorem mihi salvíficum<sup>1</sup> de cælo ángeli ministrábunt. **Ps.** Deus noster refúgium.

### Antiphona



Agathes lætíssima et gloriánter ibat ad cárcerem, et quasi ad épulas invitáta, agónem suum Dómino précibus commendábat. **Ps.** Fundaménta.

**Versiculus:** Diffúsa est grátia.

### Lectio quarta

**T**UNC irátus Quintiánus, iussit eam celérius trahi ad cárcerem, quia voce pública eum confundébat. Agathes autem sanctíssima [!] cárcerem gratulánter intrávit, et quasi ad épulas invitáta, ita gáudens agónem suum Deo précibus commendábat. Sequénti ígitur die impiíssimus Quintiánus eam suis aspéctibus iussit aptári, cui et dixit: « Quid tractásti circa salútem tuam? » Agathes veneránda respóndit: « Salus mea Christus est. » Quintiánus dixit: « Quoúsque infélix prótrahis intentiónem vanam? Dénega Christum, et íncipe cólere deos, ne vitam tuæ iuventútis acérba morte consúmmas. » Agathes dixit: « Tu infélix, tu nega deos tuos, qui sunt lápidés et ligna, et creatóre[m] tuum, qui te fecit, Deum verum adóra. Quem si contémpseris, ætérnis pœnis, et perpétuis incéndiis subiacébis. » Tunc commótus vehementíssime Quintiánus, iussit eam in ecúleo

<sup>1</sup> javítva erról: salvívicum

suspēdi et torqueri. Cumque torqueretur, dixit ei Quintiānus: « Relinque intentionem animi tui, ut vitæ tuæ possit esse consúltum. » Agathes respōdit: « Ego in his pœnis ita delēctor, sicut qui bonum nūncium áudit, aut sicut qui videt, quem diu desiderávit, aut sicut qui invēnit thesauros multos, ita ego delēctor in his pœnis corporálibus pōsita. Neque enim póterit tríticum in hórreum repōni, nisi theca eius fúerit fórtiter conculcáta, et redácta in páleas. Ita et ánima mea non potest in paradísium Dómini cum palma introíre martýrii, nisi diligēter féceris corpus meum a carníficibus attréctári. » Furens íterum Quintiānus, iussit eam in mamíllas torqueri, et diutíssime tortam, eásdem mamíllas iussit abscídi. Tu.

### Responsorium



**I**pse me coronávit, qui per apóstolum Petrum in custódia me confortávit pro eo, quod iussa sum suspēdi in ecúleo, propter fidem castitátis. \* **A**diuva me, Dómine, Deus meus, in tortúra mamillárum meárum. **V.** Vidísti, Dómine, agónem meum, quómodo pugnávi in stádio, sed quia nólui obcedíre mandátis princípum. **A**diuva.

### Lectio quinta

**I**USSIT ígitur eam in cárcerem récipi, ipse vero per postérulam secretárii fúgiens, pópulum in iánuis dereliquit. Sancta ergo Dei virgo ingrēssa íterum in cárcerem, expándit ad Deum manus suas, et dixit: « Dómine, qui creásti, et custodísti me ab infántia mea, et fecísti me in iuventúte viríliter ágere, qui tulísti a me amórem sáculi, qui corpus meum a pollutióne separásti, et fecísti me víncere torménta carníficis, ferrum, ignem, víncula, qui mihi inter torquéntes virtútem patiéntiæ tribuísti, te déprecor ut accípias spíritum meum modo, quia tempus est, ut me iúbeas sáculum istud derelinquere, et ad tuam grátiam perveníre. » Hæc cum dixisset coram multis, cum ingénti voce emísit spíritum. Quod pii pópuli audiéntes, cum nímia diligéntia venérunt, et auferéntes corpus eius, posuérunt in sarcóphago novo. Factum est autem, dum aromátibus condirétur corpus beátæ vírginis, et cum nímia diligéntia collocarétur, venit quidam iúvenis, séricis indútus véstibus, quem sequebántur ámplius, quam centum púeri ornáti et pulchri, quem nemo unquam víderat ántea in civitáte Cathanénsium, nec póstea áliquis vidit, nec invéntus est áliquis, qui díceret hunc se scire. Tu.

## Responsorium



Agathes lætíssima et gloriánter ibat ad cárcerem, \* et quasi ad épulas invitáta, agónem suum Dómino précibus commendábat. **V.** Mens mea solidáta est, et a Christo fundáta. **Et** quasi.

## Lectio sexta

**H**IC ergo véniens ad locum ubi condiebátur corpus eius, et pósuit ibi tábulam brevem ex mármore, in qua scriptum erat: « Mentem sanctam spontáneam, honórem Deo et pátriæ liberationem. » Hanc scriptúram pósuit inter sepúlchrum, ad caput eius, et tándiu ibi stabat, quándiu cum omni diligéntia clauderétur. Clausóque sepúlchro, abscessit, et non est ultérius visus, nec áuditus in tota província Siciliórum, unde suspicátum est, quod beátæ vírginis ángelus fúerit. Prædíctam autem scriptúram divulgavérunt, qui viderant, et tam Iudæi, quam étiam géntiles unánimes cum Christiánis cœpérunt venerári sepúlchrum sanctæ vírginis. Quintiánus autem consuláris, mox Dei iudicio intériit. Exínde vero, crevit timor et venerátio circa beátam Agathen. Ut autem evidénter illa scriptúra, quam ángelus Dei ad caput beátæ vírginis posúerat, firmarétur, post anni círculum, circa diem natális eius, mons Ethna eructávit incéndium, quasi flúvius torrens, ita ignis véhemens saxa et cétera liquefáciens veniébat ad Cathanénsium civitátem. Tunc paganórum multitúdo fúgiens de monte descéndit, et veniéntes ad sepúlchrum vírginis, et auferéntes velum unde erat sepúlchrum eius coopértum, statuérunt eum contra ignem veniéntem, et ipsa hora stetit ignis divínitus. Cœpit autem kalendárum Februárium, et cessávit die nonárum earúndem, qui est dies sepultúre eius, ut comprobáret Dóminus Iesus Christus, quod de perículo mortis et incéndii méritis sanctæ mártiris eos liberásset, cui est honor et glória per infínita sácula sæculórum amen. Tu.

## Responsorium



Ego autem adiúta a Dómino, perseverábo in confessióne eius, \* qui me salvam fecit, et consolátus est me. **V.** Medicínam carnálem

córpore meo numquam exhibui, sed hábeo Dóminum Iesum Christum. **Q**ui me.

## In tertio nocturno

### Antiphona



**N**isi diligénter perféceris, corpus meum a carnificibus attrectári, non potest ánima mea in paradísium Dómini cum palma introíre martýrii.

**Ps.** Cantáte **primum**.

### Antiphona



**V**idísti, Dómine, agónem meum, quómodo pugnávi in stádio, sed quia nólui obœdíre mandátis príncipum, iussa sum in mamíllas torquéri. **Ps.** Dóminus regnávit, exúltet.

### Antiphona



**P**ropter fidem castitátis iussa sum suspéndi in ecúleo, ádiuva me, Dómine, Deus meus, in tortúra mamillárum meárum. **Ps.** Cantáte **secundum**.

**Versiculus:** Adiuvábit eam. **Homélia:** Símile est regnum cælórum thesáuro abscondito.

### Responsorium



**Q**ui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllas meas meo pécatori restitúere, \* ipsum ínvocho, Deum vivum. **V.** Medicínam carnálem, **ut supra**.

## Responsorium



**B**eáta Agathes ingrèssa cárcerem, expándit manus suas ad Deum, et dixit: Dómine, qui me fecísti víncere torménta carníficum, \* iube me, Dómine, ad tuam misericórdiam perveníre. **V.** Agathes ingrèssa cárcerem, benedicébat Dóminum Iesum Christum.

**Responsorium:** Gaudeámus, *ut supra.*

## Ad laudes

## Antiphona



**Q**uis es tu, qui venísti ad me, curáre vúlnera mea? Ego sum apóstolus Christi, nihil in me dúbites, fília. **Ps.** Dóminus regnávit.

## Antiphona



**M**edicínam carnálem córpori meo numquam exhibui, sed hábeo Dóminum Iesum Christum, qui solo sermóne restáurat univérsa.

## Antiphona



**G**rátias tibi ago, Dómine, quia memor es mei, et misísti ad me apóstolum tuum, curáre vúlnera mea.

## Antiphona



**B**enedíco te, Pater Dómini mei, Iesu Christi, quia per apóstolum tuum mamíllas meas meo péctori restituísti.

## Antiphona



**Q**ui me dignátus est ab omni plaga curáre, et mamíllas meo péctori restitútere, ipsum ínvo-co, Deum vivum.

**Capitulum:** Dómine, Deus meus. **Hymnus:** Iesu coróna.

## Ad Benedictus antiphona



**B**eáta Agathes ingrèssa cárcerem, expándit manus suas ad Deum, et dixit: Dómine, qui me fecísti víncere torménta carníficum, iube me, Dómine, ad tuam misericórdiam perveníre.

## Ad secundas vesperas

[**Antiphona**]: Quis es tu. **Ps.** Dixit Dóminus. Laudáte, púeri. Lætátus sum. Nisi Dóminus. Lauda, Hierúsalem. **Capitulum:** Dómine, Deus meus. **Responsorium:** Gaudeámus. **Hymnus:** Vírginis proles. **Versiculus:** Spécie tua.

## Ad Magnificat antiphona



**P**aganórum multitúdo fúgiens ad sepúlchrum vírginis, tulérunt velum eius contra ignem, ut comprobáret Dóminus, quod a perículis incéndii méritis Agathæ martýriis suæ eos liberáret.

# IN FESTO SANCTÆ DOROTHEÆ VIRGINIS AC MARTYRIS

Ad vesperas

Antiphona



**A**ve gemma virtuosā, Doróthea, vernans rosa, mundæ vitæ patens glosa, sis pro nobis speciósā, intervéntrix gratiósā. **Ps.** Laudáte, púeri.

Antiphona



**P**aradísi de viridário rosas mittis notário, quem mortis in oratório cæli iungis solário, pétimus, ut avário nos emúndes ánimæ contrário.

Antiphona



**S**ancta virgo, Doróthea, peccatórum de mórphæa tua prece nos emúnde, et conpunctiónis unda pœnitendo nos aspérge, et a cunctis perículis nos prótege.

Antiphona



**O**mní láude digna, cor nostrum pace Christi consígna, ne nos draco stigis lædat, sed pro nobis intercédât, tua sancta victória, ut mundémur a peccáti scória.

Antiphona



**O**, Doróthea, Christo grátia afflictórum advocáta, et adiútrix sis rogáta, ut deféctus et peccáta nostra per te sint abláta.

**Capitulum:** Confitébor tibi Dómine, rex.

**Responsorium**



**O**, flos virginitátis, o, rivus amœnitátis, o, dos dignitátis, o, sol serenitátis, o, rosa puritátis nos, natántes in peccatis, \* quos lábiis flúctuat ratis adiúnge beátis. **V.** O, benígna pacis cella, Doróthea, flagrans stella, pro tuis servis interpélla. **Quos lábiis.**

**Hymnus**



**G**ratuláre, Cæsárea,  
patrónē colens, mérita  
Dorótheæ sollémnia  
solis revéxit órbita.

**V**ulneráta vivácitur<sup>m</sup>  
amóris Christi iáculo,  
féritur hinc lætáliter  
hæc paganórum spículo.

**P**olórum forti prócerum  
confors prócera redditur,  
rosarióque mártýrum  
flos róseus inséritur.

**C**orpus humátum túmulo  
funéstis caret máculis,  
pro meritórum túmulo<sup>n</sup>  
late claret miráculis.

**Æ**gris salus infúnditur,  
cæcis visum claríficat,  
surdīs áuditus pánditur,  
Theóphilum credíficat.

---

<sup>m</sup> 1558: viváciter

<sup>n</sup> 1558: cúmulo



**T**alis athlétæ súpplices  
suffúlti patrocíniis,  
cæligenárum cómplices  
lætæ fruámur gáudiis.

**P**ræstet hoc Pater lúminum,  
splendórque Patris ínclytus  
ac illustrátor hóminum  
par utérque Paráclitus.

**A**men.

*Versiculus:* Spécie tua.

*Ad Magnificat antiphona*



**O**, castitáte falleráta, o, humilitáte coronáta, patiéntia ornáta,  
virtútum flóribus fúlcita, temperántia pólita, o, pretiósá margaríta,  
sancta virgo, Doróthea, cor in nobis mundum crea.

*Oratio*

**O**MNÍPOTENS sempiternæ Deus, in cuius nómine gloriósa virgo et  
martyr, Doróthea, multórum tormentórum génera superávit,  
præsta, quæsumus, ut eius intercedéntibus précibus cuncta perícula  
vincámus, ipsámque in nostris necessitatibus célerem adiutricem  
sentiámus. Per.

## Ad matutinas

*Invitorium*



**I**n Dorótheæ festo mente pura corde præsto, \* ad psalléndum rite  
cum iúbilo veníte. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

### Antiphona



Nomen tuum laudábile Deus est, et admirábile, dum ex ore virgíneo laudári vis in pópulo. **Ps.** Dómine, dóminus noster.

### Antiphona



Cæli enárrant glóriam Christo, propter victóriam Dorótheæ mártiris, láudes pangat vox célebris. **Ps.** Cæli enárrant glóriam.

### Antiphona



Cordis puritáte promíssa veritáte, mánuum innocéntia, summa cum prudéntia castíque cordis iúbilo plácuit altíssimo. **Ps.** Dómini est terra.

**Versiculus:** Spécie tua.

### Lectio prima

**G**LORIÓSA virgo et martyr Doróthea ex patre Dorótheo, et matre Theodóra progénita est, et ex nóbili ságuine senatórum. Illis tempóribus víguit magna persecútio Christianórum · in terra Romanórum. Unde beátus Dorótheus spernens idóla, Romam relínquens, cum possessionibus, agris, víneis, castris ac dómibus, transfretávit cum uxóre sua, et cum duábus filiábus suis: Christen vidélicet, et Callísten, perréxit in regnum Cappadóciæ, venítque in civitátem Cæsáream, ibíque hábitans, génuit fíliam, de cuius vita nunc loqui inténdimus. Hæc génita more Christianórum a quodam sancto epsícopo baptizátur occúlte, et nomen sibi ex utróque parénte impónitur, nómine: Doróthea. Tu.

## Responsorium



Lætáre, Cæsárea, cívitas beáta, nam illústrat vária regna tua nata Doróthea, qui náscitur stirpe senatória. \* Omni láude páscitur eius felix memória. **V.** Prædecóra fácie fulgens et venústa procurátrix, grátiae casta, mitis iusta. **Omni.**

## Lectio secunda

**I**PSA autem puélla impléta est Spíritu Sancto, virtútibus et omni pacis disciplína imbúta, formósa valde, super omnes puéllas illíus regiónis, sed fide pulchérriima. Quod ínvidus serpens, inimícus castitátis: diábolus non sústinens, Fabrícium, præféctum terræ prædíctæ, in amórem gloriósæ vírginis Dorótheæ stímulus, ut ipsam carnáli concupiscéntia optáret. Qui mittens pro ea, spondent thesáuros, et res absque determinatióne cómputi pro dote, ipsámque legítimè ducéndam. Audiens hæc dulcis virgo, quasi lutum terræ despíciens terrénas divítias, et intrépida se Christo desponsátam fatebátur. Quod áudiens Fabrícus, furóre succénsus, in cathástam misit eam, id est, in dólum fervénti óleo plenum. Iamque adiutório Christi illæsa manens, plúrimum exultábat, ac si bálsamo ungerétur. Tu.

## Responsorium:



Pópulus in ténebris ámbulans ingéntem lucem vidit, rádiis trinis refulgéntem castitátis rádio fideíque gumpho, \* Dorótheam, sub gládio vivéntem cum triúmpho. **V.** Illustrátur crédulus, fitque natus lucis, famulátur sédulus Christi summi ducis. **Dorótheam.**

## Lectio tertia

**M**ULTI autem paganórum, vidéntes hoc miráculum, intra se ad Christum convertúntur. Fabrícus vero, putans hoc mágicis fieri ártibus, ipsam in cárcerem reclúsit, novem mittens diébus absque aliméntis, quæ nutriebátur a sanctis ángelis. Prodúctur itaque post dies novem ad tribúnal, pulchríorque, quam unquam fúerat visa cérnitur, cunctíque mirabántur, quod tot diébus absque cibo tam formósa viderétur. Fabrícus vero dixit: « Nisi in præsénti

deos adoráveris, pœnas ecúlei non evádes. » Doróthea respóndit: « Deum adorábo, et non dæmónes. Dii enim tui dæmónes sunt. » Et prostráta in terram, elevátis óculis in cælum, orávit ad Dóminum, ut osténderet poténtiam, et quod ipse solus est Deus, et non est álius præter eum. Erexerátque Fabrícus colúmnam, et désuper idólum. Et ecce, multitúdo véniens angelórum, cum ímpetu magno contrívit idólum, quod nec partícula colúmnae fuit invénta. Et audívit virgo Christi voces dæmónum, per aëra clamántium et dicéntium: « O, Doróthea, cur nos devástas? » Tunc multa mília paganórum ad Christum maniféste convertúntur, qui omnes ad palmam martýrii sunt ingrési. Tu.

**Responsorium**



**I**nclináre Dorótheam præses studet idólis, soróribus mittit eam novéllis apostátis, spondet his dare thesáuri multitúdinem, \* dolens eam iuguláre propter pulchritúdinem. **V.** Perverténtes convertúntur, crucem tollunt, et sequúntur Christum, pro quo moriúntur.

## In secundo nocturno

**Antiphona**



**D**ilexisti iustítiam, et odisti malítiam, ídeo pro tuis confórtibus unxit te rex altíssimus. **Ps.** Eructávit.

Antiphona



**V**eníte, et vidéte victóriam athlétæ, quæ vicit antíquum castitátis inimícum, Phlegetóntis serpéntem contra iustos sæviéntem. **Ps.** Deus noster.

## Antiphona



Dicta sunt de te, gloriósa, Doróthea generósa, in te manet benígnitas, tu puritátis cívitas. **Ps.** Fundaménta.

**Versiculus:** Diffúsa est grátia.

## Lectio quarta

**T**UNC ígitur beatíssima virgo Doróthea suspénsa, pédibus elevátis in ecúleo, uncísque corpus eius lacerátur, virgis castigátur, flagéllis verberátur. Deínde ad mamíllas virgináles fáculæ ardéntes applicátæ sunt, et semimórtua in cárcere usque in crástinum reclúsa est. De mane prodúcta, nec ulla mácula, nec ulla læsio appáruit. De quo étiam ipse præses cum plúrimum mirarétur, ait ei: « Adhuc revertáris, o, amœna puélla? Satis namque castigáta es. » Et misit eam ad duas soróres eius, Christen scílicet et Callísten, quæ metu mortis iam a Christo recésserant, ut sorórem suam si fas esset, a Christo evéllent. Doróthea autem, soréres léniter allóquens, áuferens ab eis cæcítatem cordis, mox ad Christum convértit. Quod áudiens Fabrícus, ambas soróres prædictas dorso ad dorsum ligáre præcépít, et in ignem proíci et cremári. Tu.

## Responsorium



**D**um Doróthea generósa Christiána cérnitur, \* propter Christum timorósa pœna mortis stérnitur. **V.** Dum clamant, cuncti confundántur in idólis, qui gloriántur. **Propter.**

## Lectio quinta

**T**UNC dixit Fabrícus vírgini Dorótheæ: « Quoúsque tu maléfica, nos prótrahis? Aut sacrífica ut vivas, aut senténtia capitáli plécteris. » Illa læto vultu respóndit: « Fac, quid vis, paráta sum enim pro Dómino Iesu Christo, sponso meo, ómnia sustinére, in cuius horto deliciárum rosas cum pomis cólligam, et lætábor cum ipso in ætérnum. » Audiens hoc tyránnus, in semetípso frémuit, præcepítque, ut pulchérrima fácies eius báculo et fústibus cederétur, quoúsque tortóres fatigaréntur, et quod vestígia faciéi in ipsa non apparént. Et serváta in crástinum, de mane prodúctur illæsa, a

Salvatóre nostro curáta, capitalíque senténtia iudicátur. Et dum extra muros ducerétur, videns eam Theóphilus, protonotárius regni illius, quasi illusórie, rosas de viridário sponsi sui cúpiens sibi mitti, plúrimum deprecátur. Quod illa promísit, licet, tunc témporis magnum frigus esset. Dum autem venit ad locum decollatiónis, rogávit Dóminum pro ómnibus, qui ad honórem nóminis sui, memóriam passiónis suæ perágerent, ut ab ómnibus tribulatióibus salvaréntur, et præcipue a verecúndia, paupertáte, et falso crímine liberaréntur, et in fine vitæ contritiónem et remissiónem ómnium obtinérent peccatórum. Mulíeres pariéntes, nomen ipsíus invocántes, célerem séntiant in suis dolóribus adiutrícem. Et ecce, vox de cælo áudita est, dicens: « Veni, elécta mea, veni, sponsa mea, quæ petísti, ómnia impetrásti, et pro quibus oráveris, omnes salvi erunt. » Tu.

#### Responsorium



Sub mense Februário, rosas mittit in orátio cum fróndibus notário, rex, qui fert mala cælica, clamat in bívio pláteæ: Fortis est Deus Dorótheæ, \* en dona dat angélica. **V.** Omnes gentes properáte, Iesum Christum adoráte. **En** dona.

#### Lectio sexta

**T**ANDEM Christi virgo inclínans se ad ictum spiculatóris, apparuit ei puer púrpura indútus, discalciátus, crispo crine, in cuius veste stellæ áureæ sparsæ fuérunt, ferens in manu spórtulam cum tribus malis, et tótidem rosis, ófferens vírgini Dorótheæ. Quæ dixit illi: « Obsecro mi, Dómine, fer ea Theóphilo scribæ. » Et mox ictum gládii suscepit, et perréxit ad Dóminum, octávo idus Februárii, a Fabrício præside, sub Diocletiáno et Maximiano imperatóribus Romanórum, anno Dómini ducentésimo octogésimo octávo. Theóphilus autem dum staret in palátio præsidis, vidit pulchérrimum púerum coram se, qui sústulit eum in partem, dicens: « Has rosas cum pomis, mittit tibi soror mea Doróthea, de paradíso sponsi sui, sicut petísti. » Et mox puer dispáruit. Theóphilus vero prorúpit in vocem, laudándo et glorificándo Deum Dorótheæ, qui in mense Februário, dum magna frigóra stringunt terram, nec áliquod virgúltum véstitur fróndibus, rosas et poma, quibus vult, mittere potens est, cuius nomen est benedíctum in sæcula. Et ipsíus ígitur affirmatióne et prædicatióne fere tota cívitas convértitur ad

Christum. Videns hoc tyránnus, Teóphilum scribam plúribus géneribus tormentórum, quam Dorótheam cruciávit, et último in partes mínútas succídi præcépit, et béstiis ac volatílibus ad manducándum proíci mandávit. Qui prímitus baptismáte mundátus est, mysticóque córpore et ságuine Christi communicávit, et sic perréxit ad Christum, qui gloríficat sanctos, ut ipse glorificétur in eis. Qui Patri Sanctóque Spirítui consubstantiális et coætérnus, conrégnat Deus, in sæcula sæculórum. Amen. Tu.

**Responsorium:** O, flos virginitátis, *ut supra*.

## In tertio nocturno

Antiphona



Nil térrita supplício, sic lóquitur Fabrício: deórum tuórum númina sunt barátri dæmónia, cælos solus fecit Deus, qui est rex, et sponsus meus. **Ps.** Cantáte, **primum**.

Antiphona



Lux orta est in Cappadócia, dum angelórum sócia, Doróthea generátur, rectis corde lætítia datur. **Ps.** Dóminus regnávit, exúltet.

Antiphona



Carmen novum decantáte, Deo nostro iubiláte, nam fecit mirabília cum vera Sion fília in conspéctu géntium, idólis credéntium, revélans prodígia, ducens hos ad fídei vestígia. **Ps.** Cantáte, **secundum**.

**Homélia:** Símile est regnum cælórum decem virgínibus.

## Responsorium



**M**ulti credunt paganórum et relínquunt idolórum cultum, dum regem cælórum prædicat Teóphilus Christum, qui persequébatur, \* lupus in agnum incitátur, Dorótheam comitátur in fide neóphitus. **V.** Hoc factum est mirábile, a Deo tam laudábile. **L**upus.

## Responsorium



**D**um sub ense præstolátur, mortis ictum deprecátur pro his, a quibus venerátur suæ necis memória, \* ut abúndent temporálibus, solvántur a mortálibus et a falsis crimínibus, post hoc vivant in glória. **V.** Expléta tunc oratióne, exáuditur in agóne, Dómini promissióne. **U**t.

## Responsorium



**C**ontristátus est præféctus, regni scriba quod eléctus factus est cathólicus, mundum spernit, timet Deum, \* morte dira necat eum homo diabólicus. **V.** Ut livóre iusti tactus caritátis odit actus. **M**orte.

## Ad laudes

## Antiphona



**N**óbilis et formósa Doróthea generósa totíus fráudis ínschia, in Cappadóciæ província imbúta fide Christiána, idóla spernéndo vana. **Ps.** Dóminus regnávit.



Antiphona



**H**is vero tempóribus regnat præses Fabrícus, cui dúcitur captíva, at illa voce viva Christum confitétur, pœnas nil verétur.

Antiphona



**A**d tribúnal vinculáta, virgo ducta · fit sacráta, quæ vocétur, interrogáta: Doróthea sum vocáta, Iesu Christo desponsáta.

Antiphona



**C**lamant cuncti: Blasphemávit, deos nostros dum negávit, et se Christo desponsávit, quem gens Iudæa morte strávit.

Antiphona



**Q**uem cæli, terræ, mária adórant, de Cæsárea elégit sibi vérnulam: sanctíssimam Dorótheam.

**Capitulum:** Confitébor. **Hymnus:** Ægris salus infúnditur. **Versiculus:** Audi filia, et vide, et.

Ad Benedictus antiphona



**O**, nóbilis athléta, virtútibus impléta, Doróthea, virgo pia, per te monstrátur cæli via, incrédulo et dévio tuo triúmphi præmio.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** de laudibus. **Psalmi:** Dixit Dóminus; Laudáte, púeri; Lætátus sum; Nisi Dóminus; Lauda, Hierúsalem. **Capitulum:** Confitébor tibi. **Responsorium:** Contristátus. **Hymnus:** Gratuláre. **Versiculus:** Spécie tua.

## Ad Magnificat antiphona



Tu, candens veris prímula, tu, florens florum tímula, tu, senatóris nata, Doróthea grata, post agnum laureáta es, alba tincta stola, procúra, ne nos mola vitiórum stringat, sed pacis omen cingat.

## IN FESTO SANCTÆ HELENÆ

Ad vespas

## Antiphona



Annua beátæ Hélenæ sollémnia votívus láudibus excipiámus, ut eius méritis et intercessiúnibus a malis nostris sublevémur. **Ps.** Laudáte, púeri.

**Capitulum:** Mulíerem fortem.

## Responsorium



**O**, mira et potens Dei cleméntia, ad conversiónem gloriósæ regínæ \* hóminum quinque mília principáliter ibi baptizáti sunt. **V.** Admirábile est nomen tuum, Dómine, in univérsta terra. **H**óminum.

## Hymnus



**G**áude, felix Hungária,  
gáude, de Christi múnere,  
láudes in voce vária  
corde promas et ópere.

**H**élena sanctíssima  
de te nascéndo pródiit,  
rite detéstans ínfima,  
cæléste regnum pétiit.

**T**erréni regis fília  
regi cælésti plácuit,  
eléctum super mília,  
quærens invénit, ténuít.

**C**oniúncta cæli cívibus,  
vitæ potátur flúmíne,  
divínis vacans láudibus  
lumen videt in lúmíne.

**L**æta stupet Hierosólyma,  
fractis natúrae régulis,  
dum per sancta suffrágia,  
miránda fiunt sæculis.

**V**ita defúntis rédditur,  
ægris confértur sánitas,  
cláudus dirécte gráditur  
cæcos illústrat cláritas.

**D**eo Patri sit glória.

*Versiculus:* Spécie tua, et.

*Ad Magnificat antiphona*



**E**n gloriósa regína, quæ in terréno honóre piórum óperum  
magnitúdine, et circa ecclésiám Christi · operósa devotióne cláruit,  
iuste nunc gloriósior cum Christo regnat in cælis.

*Oratio*

**D**EUS, qui sanctos et eléctos tuos pro suis quoque méritis  
honoráre dispónis, præsta, quæsumus, ut sanctæ Hélenæ  
regínæ, cuius fidei religióne et stúdiúm in sanctæ Crucis  
manifestatióne venerámur, apud misericórdiam tuam, eius méritis et  
précibus adiuvémur. Per.

## Ad matutinas

### Invitatorium



**A**dorémus regem regum, \* qui regínam in cælis coronávit Hélenam.  
**Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

### Antiphona



**I**ngénuis orta natálibus beáta Hélena, ut luna inter sídera, sic in  
 género suo cláruit. **Ps.** Dómine, Dóminus noster.

### Antiphona



**N**igra sum, sed formósa, fíliæ Hierúsalem, ídeo diléxit me rex, et  
 introdúxit me in cubículum suum. **Ps.** Cæli enárrant.

### Antiphona



**P**ulchra es, et decóra filia Hierúsalem, terríbilis, ut castrórum ácies  
 ordináta. **Ps.** Dómini est terra.

**Versiculus:** Spécie tua.

### Lectio prima

**D**UM rex regum et Dóminus dominántium ecclésiæ suæ, quam  
 per infinita mundi plantáverat, imperiáli poténtia corroboráre  
 dignarétur impérium, primum cápite lánguidum totíus orbis sanávit.  
 Tu.

## Responsorium



Sollémnia beátæ Hélenæ, læta mater ecclésia, leto honóre suscípiat, cuius pio ministério plúrimum exaltáta est in terris, \* cuius consórtio ipsa lætátur in cælis. **V.** Dómine, diléxi decórem domus tuæ, et locum habitatiónis glóriæ tuæ. **Cuius.**

## Lectio secunda

**A** quo sánitas in cétera membra deflúeret, et abstérsis lácrimis, sancti persecutórum rábiem tranquílla pace commutáret. Tu.

## Responsorium



Digna matróna, ut cæléstem glóriam et miraculórum magnitúdinem in beáto Silvéstro vidit, \* Christo crédidit, et baptísmi grátiam suscepit. **V.** Induit eam Dóminus stola iustítiæ, et ornávit eam. **Christo.**

## Lectio tertia

**A** primórdiis enim suscéptæ fidei, novo ecclésia ságuine filiórum suórum máduit, quos purpuráto diademátæ ad regnum transmísit, sed divína in eo páuit, qui eam confortávit. Tu.

**Responsorium:** O, mira et potens, *ut supra.*

## In secundo nocturno

## Antiphona



Vere beáta mater, quam Deus filio imperatóre, et Christiáni nóminis præcípua cultóre honorávit. **Ps.** Eructávit.

## Antiphona



**A**diuvábit eam Deus vultu suo, Deus in médio eius non commovébitur. **Ps.** Deus noster.

## Antiphona



**C**ognoscétur Dóminus in toto império eius, dum quinque mília hóminum in conversióne eius baptizáti sunt. **Ps.** Fundaménta.

**Versiculus:** Diffúsa est.

## Lectio quarta

**H**ODIÉRNA ergo dies ánnua exultatióne in[*n*]ovátur, in qua beáta mater et gloriósa regína Hélena, per quam salus mundi emícuit, et de temporáli ad ætérnum regnatúra migrávit. Tu.

## Responsorium



**G**entem Trevennórum [!] post conversiónem idolatríæ, elápsam errórem, \* per beátum Agrítium ad fidem et Christi grátiam revocávit. **V.** Glória Dei semper erat in ipsa, et grátia eius in ipsa vácuá non fuit. **Per.**

## Lectio quinta

**O**RTA ígitur ex regáli progénie Trevennórum, profíciens ætáte, et sapiéntia humána, velut luna intra astra matutína in génere suo refúlsit. Sed póstea divína illustráta sapiéntia, maióre virtútum per orbem iubáre cláruit.

## Responsorium



**A** fundaménto per orbem plúrimas sanctórum mártýrum ecclésias sublimávit, \* et facultátibus suis copióse honorávit. **V.** Concupívit

ánima eius in átria Dómini, cor eius et caro eius exultavérunt in Deum vivum. **Et.**

Lectio sexta

**C**UIUS cógnita spécie, Constantínus imperátor in spécie generósæ prolis diléxit, deínde pro fructu bonórum óperum, decórem eius rex cæléstis concupívit. Namque primum per afféctum carnis copulátur terréno regi, abiécto velámine perfídiæ, et lota baptísmate, fit sponsa regis æténi. Servávit vero fidem, quam débuit, sed ampliórem Christo, postquam crédidit. Tu.

Responsorium



**M**úlier fortis manum mittit ad fórtia, \* Hierosólymam perréxit, lignum Domínicum diligénter exquisívit, et felíciter invénit. **V.** Non cui gloriári vóluit, nisi in cruce Dómini nostri, Iesu Christi. **H**ierosólymam.

## In tertio nocturno

Antiphona



**D**igna Deo matróna ita usum terréni honóris hábuit, ut ad glóriam cæléstium perveníre méruit. **Ps.** Cantáte, **primum.**

Antiphona



**O,** quam gloriósa dicta sunt de te, quæ meruísti lignum Domínicum inveníre. **Ps.** Dóminus regnávít, exultet.

## Antiphona



**D**ícite in natió nibus, quia regná vit in ligno Deus. **Ps.** Cantáte, **secundum.**

**Versiculus:** Adiuvá bit eam. **Homelia:** Símile est regnum cælórum thesáuro abscondito.

## Responsorium



**V**enerábili regínæ et filio eius imperatóre Constantíno annuente, generálibus concíliis celériter celebrátis, cánones sunt trá diti, \* et synodália senténtia fides roboráta est. **V.** Ut cognoscámus, Dómine, in terra viam tuam, in ómnibus géntibus salutáre tuum. **Et** synodália.

## Responsorium



**V**ere beáta mater, cuius fílius Christiánæ religióni devótus, sedem Románam et plúrima imperiáli dignitáte insígnia \* beáto Petro relegávit. **V.** Dedit in celebratió nibus decus, et ornávit témpora sua. **Beáto.**

## Responsorium



**O**, gloriósa terrárum regína, cælórum regis sponsa, cuius ópere et salúbri stúdio \* gens Indórum et Hebræórum Armeniórum fidem Christiánam suscépit. **V.** Laudáte Dóminum omnes gentes, et collaudáte eum omnes pópuli. **Gens.**



## Ad laudes

### Antiphona



**B**eáta Hélena, ut virtútem miraculórum in beáto Silvéstro vidit, in Deum et Christum eius crédidit. **Ps.** Dóminus regnávit.

### Antiphona



**A**biéctis ítaque imperiálibus, humiliáta est, et salutáre baptísmi sacraméntum suscepit.

### Antiphona



**A**ccépta a fílio potestáte, et cópia per orbem plúrimas sanctórum fundávit ecclésias.

### Antiphona



**I**nter plúrima suæ donatiónis ópera ligni Domínici invéntrix fieri méruit.

### Antiphona



**I**mperiáli maiestáte ignem Iudáeis mináta est, et prodénte Iuda ad locum absconditæ crucis pervénit.

**Capitulum ut supra.** **Hymnus:** Terréni regis fília. **Versiculus:** Audi, fília.

Ad Benedictus antiphona



**O**, quam digne veneránda est beáta Hélena, cuius ánima, exultántibus ángelis, recépta est in cælis, et memória miráculis et signis célebris est in terris.

Ad Magnificat antiphona



**G**rata Deo, laudabilisque homínibus beáta Hélena, quæ et Marthæ officium strénue rexit, et nunc Mariæ óptimam partem elégit, quæ non auferátur ab ea.

## IN FESTO SANCTÆ APPOLONIÆ [!]

### VIRGINIS

Ad vesperas

**Capitulum:** Dómine, Deus meus.

Ad Magnificat antiphona



**V**irgo et martyr egrégia pro nobis Appolónia [!] funde preces ad Dóminum, ne pro reátu críminum vexémur morbo déntium.

**Oratio**

**D**EUS, qui beátam Appolóniam [!] vírginem ac mártirem tuam, excússis déntibus, sævíssimo hoste triumpháre voluísti, concéde, quæsumus, ut eius méritis et précibus ab ómnibus malis præsentibus et futúris liberémur. Per.

# IN FESTO SANCTÆ SCOLASTICÆ VIRGINIS

## Ad vesperas

**Antiphona:** Veni, elécta mea. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** De virgínibus præcéptum, **vel:** Qui gloriátur. **Responsorium:** Regnum mundi. **Hymnus:** Virgínis proles. **Versiculus:** Spécie tua.

Ad Magnificat antiphona



Sanctimoniális autem fémina, dum negántis verba audísset, oratiónem fudit, et inundátio pluviae erúpit.

Oratio

**F**AMÍLIAM tuam, quæsumus, Dómine, beátæ Scolásticæ méritis propítius réspice, ut sicut ipsíus précibus ad obtinéndum, quod cupívit, imbrem cælitus descéndere fecísti, ita eius supplicatióibus ariditátem nostri cordis · supernæ grátiae dignéris rore perfúndere. Per.

Lectio prima

**S**OROR beáti Benedícti, Scolástica nómine, omnipoténti Dómino ab infántia témpore Dómino [!] dicáta, ad eum semel per annum veníre consuéverat, ad quam vir Dei non longe extra iánuam in possessiõe monastérii descendébat. Quadam vero die venit ex more, atque ad eam cum discípulis venerábilis eius descéndit frater. Quintórum die in Dei láudibus, sacrísque collóquiis ducétes, incumbéntibus iam noctis ténebris, simul accepérunt cibos. Cum vero supradícti viri Dei ad mensam sedérent, et intra sacra collóquia tárdior se hora protráheret, eádem sanctimoniális fémina rogávit eum, dicens: « Queso ne ista nocte me déseras, sed usque mane de cælésti vitæ gáudiis áliquíd loquámur. » Tu.

Lectio secunda

**C**UI ille respóndit: « Quid est, quod lóqueris, soror? Manére extra cellam nullátenuis possum. » Tanta vero cæli erat serénitas, ut nulla in aëre nubes apparéret. Sanctimoniális autem fémina, cum verba negátis fratris audíret, insértas dígitis manus super mensam pósuit, et caput in mánibus declínans, omnipoténtem Dóminum

rogatúra declinávit. Cum vero sanctimoniális fémina leváret de mensa caput, tanta coruscatiónis et tonítrui virtus, tantáque inundátio plúviæ erúpit, ut neque venerábilis vir Benedíctus, neque fratres, qui cum eo áderant, extra loci limen, quo conséderant, pedem movére póterat. Tu autem.

Lectio tertia

**S**ANCTIMONIÁLIS autem fémina caput in mánibus reclínans, lacrimárum flúvium imménsam fúderat, per quam serenitátem aëris ad plúvium traxit. Nec inde paulo tárdius post oratióne inundátio secúta est, sed tanta fuit conveniéntia oratiónis, ut de mensa caput iam cum tonítruo leváret, quátenus unum idémque esset moméntum eleváre caput, et plúviam depónere. Vir autem Dei Benedíctus, inter coruscatiónes et tonítrua, atque ingéntis plúviæ inundatióne, videns se ad monastérium non posse remeáre, cœpit cónqueri contristátus, dicens: « Parcat tibi, omnípotens Deus, soror, quid hoc est, quod fecísti? » Cui illa respóndit: « Ecce, ego rogávi te, et tu nolúisti audíre me, rogávi Dóminum meum, et audívit me, modo ergo, si potes, egrédere, et me dimíssa, ad monastérium recéde. » Ipse autem extra cellam exíre non valens, qui remanére sponte nóluit, in loco mansit invítus. Tu.

Lectio quarta

**S**ICQUE factum est, ut tota nocte pervígilem dúcerent, atque per sacra spiritalís vitæ collóquia, sese vicária relatióne satiárent. Die autem áltero, cum supradícta venerábilis fémina ad cellam própriam recessisset, vir Dei ad monastérium rédiit, et ecce, post tríduum in cella consístens, elevátis in aëra óculis, vidit eiúsdem soróris suæ ánimam de eius córpore egréssam, in colúmbæ spécie, cæli secréta penetráre. Qui tantæ eius glóriæ congáudens, omnipoténti Deo in hymnis et láudibus grátias réddidit, eiúsque óbitum frátribus denunciávit. Quos étiam prótinus misit, ut eius corpus ad monastérium deférrent, atque in sepúlchro, quod sibi ipse præparáverat, pónerent. Quo facto cónfigit, ut quorum mens una in Deo semper fúerat, eórum quoque córpora nec sepultúra separáret. Tu.

Lectio quinta

**P**OST multa annórum currícula, iuxta quod vir Dei, Benedíctus, per Spíritum ante cognóverat, atque prædíxerat, superveniéntibus in Beneventánam provínciam Longobárdis et

cuncta ea vastántibus, isdem locus in herémi vastitátem est redáctus. In quo vastitáte cum diu manéret, post áliquot annos quibúsdam religiósus in Gállia viris vísió est osténsa, ut in præfátam provinciám irent, et præfatórum sanctórum córpora diligénter perquirérent, eáque in sua pátria tumulánda deportárent. Igitur dum de pago Aurelianénsi quidam mónachus, nómine Algúlphus, cælésti inspiratióne, pro deferéndo beáti viri córpore ab abbáte suo missus est. Itémque a Cenománnica urbe núncii ex divína revelatióne pro beátæ Scolásticæ córpore deferéndo sunt dirécti, ut quos unius urnæ continébat spátium, simul étiam transferéndi ostenderéntur. Tu autem.

Lectio sexta

**N**ÚNCII vero, qui a Cenománnica urbe, ut supradíximus, pro sanctæ Scolásticæ córpore deferéndo dirécti, et Algúlpho mónacho fúerant sociáti, dum sanctæ reliquias, pro quibus erant missi, tradi depósceret sibi, quia dúbium erat, quómo modo sanctæ reliquiæ discérni possent, quæ in una sporta simul deportátæ fúerant, tandem ad hoc consílium ventum est, ut quæ minóra ossa videréntur, altrinsécus poneréntur. Quo facto, cum adhuc pro discernéndis sanctórum reliquiis, illórum, qui præsesentes erant, hæsitáret arbítrium, audívit duórum defunctorum córpora, quorum unus masculíni, alter feminíni sexus fúerat, ad tumulándum deférrí. Plácuít itaque fidélibus, ut ambórum cadáverá, scílicet beáti Benedícti et sanctæ Scolástice ad se deportári iúberent. Quibus allátis, cum super masculíni corpus maióra ossa fuíssent pósita, et super féminæ minóra, mira res, mox per mórtuos vita mórtuis fuit réddita. Tunc omnes divínám cleméntiam collaudántes, et sanctórum mérita venerántes, supradíctis Cenománnicis cívibus sanctæ Scolásticæ reliquias tradidérunt. Quibus accéptis, ad próprias urbem gáudio remeavérunt. Deínde fabricavérunt iuxta ipsam civitátem sancti nóminis eius basilícam, et plúrimæ nobílium feminárum ibi sunt aggregátæ, et isdem locus deinceps multis divinórum signórum miráculis cláruit, præstánte Dómino nostro, cui est honor et impérium in sæcula sæculórum. Amen. Tu autem.

**Homélia:** Símile est regnum cælórum decem virgínibus.

## IN FESTO SANCTI VALENTINI MARTYRIS

**Capitulum:** Beátus vir, qui in sapiéntia.

**Oratio**

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beáti Valentíni mártiris sollémnia cólimus, a cunctis malis imminéntibus eius intercessióne liberémur. Per Dóminum.

**Lectio prima**

**T**EMPÓRE, quo persequebátur Cláudius Christiános, ténuit quemdam presbýterum, venerábilem virum Valentínium nómine, et cláusit in cárcerem in compédibus et cathénis. Quem post bíduum iussit sibi præsentári in palátio suo, iuxta amphitheátrum, et dixit ad eum: « Quare non amicítia nostra frúeris? Satis mirándam sapiéntiam áudio de te, et dum sis sápiens, offéndis in superstitióne vanitátis. » Respóndit Valentínus, et dixit: « Si scires donum Dei gáuderis tu, et respública, et refutáres dominatiónes et idóla manufácta, et confiteréris unum Deum omnipoténtem, qui fecit cælum et terram, et ómnia, quæ in eis sunt. » Tu autem.

**Lectio secunda**

**R**ESPÓNDIT quidam legisconsúltor, qui astábat Cláudio, et dixit ad beátum Valentínium: « Et quid dísputas de deo Iove, vel Mercúrio? » Respóndit presbyter Valentínus, et dixit: « Hómines misérrimos et turpes, qui toto témpore vitæ suæ in immundíciis córporum suórum male vixerunt. Sed osténde mihi genealógiám eórum, et vidébis, quam turpes fúerint. » Respóndit Cláudius, et dixit ad Valentínium presbýterum: « Si Christus Deus est, quare mihi non índicas, quod verum est? » Respóndit Valentínus presbyter, et dixit: « Áudiat píetas vestra, tu vero áudi me, rex, et ánima tua salva erit, et respública tua augébitur, et inimíci tui extingúntur, et tu in ómnibus victor eris, et hic, et in futúro. » Tu autem.

**Lectio tertia**

**H**OC tantum commóveo, ut pœniteáris de ságuine sanctórum, « quem effudísti, et credas Christum, et baptízeteris, et salvus eris. »<sup>o</sup> Eádem hora immutátum est cor Cláudii, et cum tristítia

---

<sup>o</sup> Marginalia: Respóndens autem Cláudius astántibus, dixit: « Viri Románi, áudite, quam sapiénter et recte lóquitur homo iste » Tunc unus ex astántibus dixit: « Sedúctus est imperátor, quómodo deserémus, quod ab infántia nostra

trádidit eum Calphúrnio præféc̄to, dicens: « Patiénter áudi eum, et si sanctum consílium non est, quod declárat, fac in eum, quod in sacrílegum præfixérunt, sin vero audiátur iusta postulátio eius. » Tunc Calphúrnus præféc̄tus suscíp̄iens Valentínus presbýterum, dedit cuíd̄am Astério, príncipi suo, dicens: « Si potúeris eum móllibus sermónibus humiliáre, intimábo doctrínam tuam Cláudio, et eris eius amícus, et multiplicáberis divítiis et facultátibus. » Tu autem.

#### Lectio quarta

**A**CCÍPIENS autem eum Astérius, duxit eum in domum suam. Et cum introísset in domum Astérii presbýter Valentínus, oratióem génibus pósitis fudit ad Dóminum. Áudiens hoc Astérius, dixit ad Valentínus presbýterum: « Miror prudéntiam tuam, ut dicas, quia Christus vester verum lumen est. » Respóndit Valentínus presbýter: « Vere, quia Dóminus Christus, qui natus est ex Spír̄itu Sancto, de María vírgine, verum lumen est, qui illúminat omnem hóm̄inem veniéntem in hunc mundum. » Respóndit Astérius: « Si illúminat omnem hóm̄inem veniéntem in hunc mundum, modo probábo, si Deus est, aut falláciam tuam extínguam. » Et subiúnxit dicens: « Hábeo fíliam adoptívam, quam díligo a cunábulis, et súbito ante fere duos annos hypozimátis obscuráta est fœditáte. Ipsam addúcam ad te, ut dum curáta fúerit, ómnia, quæcúmque præcéperis, fáciam. » Respóndit Valentínus presbýter, et dixit: « In nómine Dómini nostri, Iesu Christi, adduc eam ad me. » Tu autem.

#### Lectio quinta

**C**URRENS Astérius, anxiándo addúxit puéllam cæcam ad beátum Valentínus presbýterum. Elevans autem beátus Valentínus manum in cælum, óculis fluéntibus lácrimis, oratióem fudit ad Dóminum. Et facta oratióne, pósuit manus suas super óculos eius, dicens: « Dómine, Iesu Christe, illúmina fámulam tuam, quia tu es Deus lumen verum. » Et cum hoc dixísset, apérti sun óculi eius. Hoc cum vidísset Astérius, cecídit ad pedes beáti Valentíni, et ita aiébant, ambo dicéntes: « Per Christum, quem verum lumen cognóvimus, obsecrámus te, ut quod scis, fácias, et salvéntur ánimæ nostræ. » Respóndit Valentínus presbýter, et dixit: « Ergo fácite, quod dico: Si

---

tenúimus? » Cor autem eádem hora immutabátur, et cum tristítia trádidit eum Calphúrnio præféc̄to, dicens ei: « Patiénter áudi eum... » etc.

ex toto corde créditis, confríngite idóla, et ieiunáte, et relaxáte culpas ómnibus, et baptizétur unusquisque in confessióne sua, et salvus erit. » Tunc indíxit eis triduánum ieiúnium. Et quia multos habébat Astérius de Christiánis in custódia, relaxávit omnes. Tu.

**Lectio sexta**

**T**RIBUS autem consummátis diébus, die sancto Domínico baptizávit Astérium cum omni domo sua, ánimas vere promíscui sexus, número quadragínta quatuor. Post hoc requisívit Cláudius Astérium príncipem, et nunciátum est ill, quia illumináta est puélla in domo eius, et per hoc signum baptizátus esset in nómine Christi, cum omni domo sua, per Valentínium presbýterum. Qui irátus, misit mílites, et ténuit omnes, quos invénit in domo Astérii. Et cum addúcti fuissent vincti, præcépit Astérium cum omni domo sua duci vinctum in civitátem Ostiam, et ibi eum sub pœnarum examinatióne ex[h]aláre, et Valentínium presbýterum fústibus cedi, et subíre senténtiam, ut cápite truncarétur. Qui decollátus est in via Fláminea sub die sextodécimo kalendárum Martiárum.<sup>p</sup> Cuius corpus collégit quædam matróna, Savinélla nómine, et sepelívit eum in eódem loco, ubi decollátus est. Ibi póstea a Iúlio papa fabricáta est ecclésia, in honóre sancti Valentíni presbýteri et mártiris, et mirífice decoráta, in qua devóte pœniténtibus benefícia Dómini præstántur usque in hodiérnum diem. Tu.

**Homelia:** Si quis vult veníre.

## IN FESTO SANCTÆ JULIANÆ VIRGINIS

Ad vespas

**Capitulum:** Sapiéntia vicit.

**Oratio**

**D**A nobis, quæsumus, omnípotens Deus, in festivitáte sanctæ vírginis et mártiris tuæ Iuliánæ, cóngrua devotióne gaudére, ut et poténtiam tuam in eius passióne laudémus, et provísium nobis percipiámus auxiliúm. Per.

---

<sup>p</sup> Marginalia: in anno Dómini CCLXXX



## Lectio prima

**T**EMPÓRIBUS Maximiani imperatoris, erat quidam senator in civitate Nicomedia, nomine Eulésius, amicus imperatoris. Hic desponsavit quamdam puellam, nobili genere orta, nomine Iuliána, cuius pater Affricanus cognominabatur. Eulésius ergo festinabat complere nuptialem celebritatem. Iuliána vero per singulos dies vacans orationibus currebat ad ecclesiam Dei, ut divinas scripturas intelligeret. Tu.

## Lectio secunda

**T**RANSÁCTIS autem paucis diebus, misit Eulésius nuncios ad eam. Tunc Iuliána dixit ad eos: « Dícite Eulésio: Si colúerit Patrem et Fílium et Spíritum Sanctum, nubam illi, quod si nolúerit, non potest accipere me in coniúgem. » Áudiens Affricanus verba filiae suae Iuliáne, irátus cruciatam trádedit eam præfecto, sponso eius. Tu autem.

## Lectio tertia

**P**RÆFÉCTUS autem iussit eam addúci ante tribunal suum, cui et dixit: « Dulcíssima filia mea, Iuliána, quis tibi persuásit, cólere Deum aliénum? » Beáta Iuliána respóndit: « Si consénsersis mihi, et adoráveris mecum Patrem cum Fílio suo, et Spíritum Sanctum, acquiescam tibi. Si vero nolúeris, non mihi domináberis. » Tu.

## Lectio quarta

**A**UDIENS hæc præfectus commótus iracúndia, iussit eam appéndi a scápolis. Pendens vero per sex horas, clamans dicébat: « Christe, Fili Dei vivi, adiúva me! » Post hæc præfectus iussit afférri rotam férream, et figi super eam gládios acútos, et quatuor mílites hinc atque illinc trahébant rotam, ut sanctam contérent Iuliánam. Ángelus autem Dómini descéndit, et commínuit cathástam, et ómnia víncula resolúta sunt. Sancta autem Iuliána glorificábat Deum: « Amen! » Tu autem.

## Lectio quinta

**P**OST hæc præfectus iussit sanctam Iuliánam igne cremári. Áudiens hæc beáta Iuliána, exténdens manus suas ad cælum, dixit: « Dómine, Deus omnípotens, ne déseras, neque despicias me, et ne proicias faciém tuam a me, sed esto mihi adiútor, et líbera me de his torméntis. » Et ecce, súbito venit ángelus Dómini, et separávit ignem, et flammás extínxit. Sancta autem Iuliána stans in médio

ignis illæsa, glorificábat Dóminum. Videns præfécus irátus, iussit ei gládio caput amputári. Edúcta autem sancta Iuliána, orávit dicéns: « Miserére mei Dómine, et auxiliáre mihi, et in pace súscipe spíritum meum. » Et dum hæc in oratióne díceret, decolláta est, et cum pace spíritum réddidit. Tu.

*Lectio sexta*

**Q**UÆDAM autem senátrix múlter, nómine Suffrónia, véniens ad urbem Romam, tulit corpus beátæ Iuliánæ, et condívit aromátibus in locélló, ut secum deférret. Et surgens tempéstat, perdúxit ipsam navem in fines Campánia. Et pósita est sancta Iuliána prope territórium Puteolónum, uno milliário a mari. Regnánte Dómino nostro, Iesu Christo, qui vivit cum Patre et Spíritu Sancto, in sæcula sæculórum. Amen. Tu.

*Homélia:* Símile est regnum cælócum, decem virgínibus.

## IN CATHEDRA SANCTI PETRI APOSTOLI

### Ad vespas

*Antiphona*



Solve iubénte Deo terrárum Petre cathénas, qui facis, ut páteant cæléstia regna beátis. **Ps.** Laudáte, púeri.

*Capitulum*

**P**ETRUS apóstolus, Iesu Christi eléctis ádvenis, dispersiónis Ponti, Galátia, Cappadócia, Asyæ et Bythíniæ, secúndum præsciéntiam Dei Patris, in sanctificatióne Spíritus, in obediéntia, et aspersione sánguinis Iesu Christi, grátia vobis et pax multiplicétur. Deo.

*Responsorium:* Tu es pastor ómnium. *Quære infra in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum.* *Hymnus:* Iam bone pastor. Sit trinitáti. *Quære ibidem.* *Versiculus:* Tu es Petrus.

Ad Magnificat antiphona



**S**imon, Barióna, tu vocáberis Cephas, quod interpretátur Petrus, iánitor cæli pulsántibus áperi, super modum peccávimus omnes, dimítte septuágies sépties. **V.** Parce tuis óvibus, quas raptor vexat iníquus.

Oratio

**D**EUS, qui beáto Petro apóstolo collátis clávis regni cælestis, ánimas ligándi atque solvéndi pontificium tradidisti, concéde, ut intercessiónis eius auxílio, a peccatórum nostrórum néxibus liberémur.

**Fiat memoria de sancto Paulo. Antiphona:** Sancte Páule apóstole. **Versiculus:** Ora pro nobis. **Oratio:** Deus, qui multitúdinem géntium. **Quære in commemoratione beati Pauli.**

## Ad matutinas

Invitatorium



**P**astóri summo iubilémus corde iocúndo, \* qui claves Petro cælórum cóntulit almo. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

**Antiphona:** Petrus et Iohánnes. **Ps.** Cæli enárrant. **Cum ceteris antiphonis, psalmis et versiculis. Quære infra, in festo beatorum Petri et Pauli apostolorum. Versiculus:** In omnem terram.

Lectio prima<sup>¶</sup>

**I**N diébus illis, cum Petrus ex more quotidie pópulum dóceret, et virtútes multas ac sanitátes efficeret. Post dies decem venit

---

<sup>¶</sup> Sancti Clementis Romani recognitiones, Rufino Aquilei presbyteri interprete, Liber X.

quidam nostrorum ab Antióchia missus a patre, annúncians nobis, quómodo públice staret pater, Simónem quidem, qui in vultu eius videbátur accúsans, Petrum vero imménsis láudibus præferens, et omni pópulo comméndans ac desiderábilem fáciens, ita, ut omnes ex eius sermóne mutáti desiderárent eum vidére, multos autem tantum in Petri amóre venísse, ut sævírent in patrem, quasi in Simónem, et manus ei vellent iniícere, velut qui tantum mali commísisset in Petrum. Propter quod aiébat, imprópera ne forte perimátur. Tu.

*Responsoria, ut infra quære.*

*Lectio secunda*

**I**N timóre enim magno pósitus misit me velócliter, ut sine mora «**I** vénias, quo vivéntem eum óccupes simul et crescénti erga tui desidérium civitáti opportúnium appáreas. » Aiébat étiam, quomodo mox, ut urbem Antióchiam pater ingrèssus esset, quasi ad Simónem omnis pópulus ad eum colléctus est, et cœpit ómnibus confitéri públice, secúndum ea, quæ pópuli restaurátio flagitábat. Namque cum omnes simul nóbiles, et divérsi simul dívites ac páuperes convenísset, sperántes áliquíd ab eo more sólito prodígia posse fferi, omnes hac voce allóquitur: «**D**iu est, quod me Simónem infelicíssimum hómínium, patiéntia divína sústinet. Nam quicquid in me miráti estis, non veritátis mystério, [!] sed dæmónium mendáciis et ártibus gestum est, ut vestram fidem evérterem, et meam ánimam condemnárem. » Tu.

*Lectio tertia*

**C**ONFÍTEOR me ómnia de Petro fuisse méntitum. Ille enim neque «**C** magus, neque homicída umquam fuit, sed a Deo, ad salútem ómnium vestrum missus est. Quem si ex hac hora contemnéndum putavéritis, certum sit apud vos, quod possit ipsa civitas vestra repénte períre. Quæ autem cáusa sit, ut hæc vobis ultro confítear, ab ángelo Dei hac nocte veheménter corréptus sum, et cur ei inimícus exísterem, vehementíssime flagellátus. Déprecor vos, ut si egoipse ex hac hora aperúero os meum contra eum, proiciátis me ab aspéctu vestro. Ille enim immúndus dæmon salúti hómínium inimícus, per os meum contra ipsum lóquitur, ne per eum vos pertingátis ad vitam. » Tu autem.

*Lectio quarta*

**Q**UID enim ars mágica, per me vobis pótuit virtútis osténdere? «**Q** Canes feci áreos latráre, et státuas movéri, figúras mutári

hóminum, et súbito ab aspéctibus hóminum absentári, et per hæc debuístis artem mágicam execrári, quæ, ut vobis miráculum ináne præténderem, ánimas vestras diábolus innodábat, ne credéritis Petro, qui et languéntes in nómine eius, a quo missus est, curat, et dæmónes fugat, ac cæcos illúminat, et paralíticis salútem reddit, et mórtuos súscitat. » Hæc et his simília multa Faustiniáno prosequénte execrári cœpit pópulus, et dabat fletum et gémitum, quia peccássent in Petrum, credéntes eum esse magum et ímpium. Tu autem.

#### Lectio quinta

**E**ODEM vero die, ad vésperam, restitúta est in Faustiniáno fácies própria, et recéssit ab eo aspéctus Simónis magi. Audiens autem Simon vultum suum in eo ad Petri glóriam profecísse, festínus prævenit Petrum, et ágere cúpiens arte sua, ut a Faustiniáno eius similitúdo recéderet, cum iam hoc iuxta verbum apóstoli sui Christus implésset. Vidéntes Nicéta et Aquila, post prædicatióne necessáriam, patérnam faciém restitútam, grátias agéntes Deo, non patrem permisérunt ultérius loqui ad pópulum. Simon autem cœpit, licet occúlte, per amícos suos et familiáres ambuláre, et ámplius Petro derogáre, quam ántea. Tunc omnes expuéntes in faciém eius, expulérunt eum de civitaté, dicéntes: « Tu eris reus mortis tuæ, si ultérius locútus contra Petrum, huc tibi credíderis esse veniéndum. » Tu.

#### Lectio sexta

**Q**UIBUS cógnotis Petrus, póstera die conveníre pópulum iubet, et uno ex his, qui sequebátur eum, ordináto eis epíscopo, áliis étiam presbýteris baptisátis quoque plúrimis, et ómnibus, qui erant vexátí languóribus, sive dæmónibus, sanitáti rédditis, demorátus ibi áliud tríduum, cunctis rite compósitis, veledícens eis proficíscitur a Laodícia multum desiderábilis Antióchensium plebi. Et cœpit Nicétam et Aquilam tota cívitas audíre, quia Petrus adventáret. Omnis autem pópulus Antióchie civitatís áudiens Petrum veníre, occurrérunt ei, et pæne omnes maióres natu, et nóbiles, cínerem aspérsi in cápita pœniténtiam agébant, quia contra prædicatióne eius magum Simónem suscepísset. Hæc et his simília prosequéntes, offérrunt ei vexátos languóribus, et dæmóniis fatigátos, paralíticos quoque et dívérsa perícula patiéntes, et erat infínita multitúdo simul languéntium. Quos videns Petrus, non solum pœnitúdinem ágere, quod de eo male sensísset per Simónem, verum étiam et tam

íntegram fidem exhibére Deo, ut étiam omnes dívérsas ægritúdines patiéntes créderent, per eum posse salvári, expándit ad cælum manus suas, et cum lácrimis oratióem effúndens, grátias réferens Deo, dicébat: « Benedíco te, Pater prædicánde, qui omne verbum et promíssum filii tui adimplére dignáris, ut cognóscat omnis creatúra, quia tu solus es in cælo et in terra. » Tu autem.

*Homelia:* Venit Iesus in partes Cæsáreae. *Quære infra, in ali festo, ut dictum est.*

## Ad laudes

*Antiphona:* Petre, amas me. *Quære ibidem cum ceteris antiphonis etc.*

## Ad sextam

*Capitulum*

**B**ENEDÍCTUS Deus, et Pater Dómini nostri, Iesu Christi, qui secúndum magnam misericórdiam suam regenerávit nos in spem vivam, per resurrectióem Iesu Christi ex mórtuis in hereditátem incorruptibilem et incontaminátam et immarcescibilem, conservátam in vobis, qui in virtúte Dei custodímmini, per fidem in salutem, parátam revelári in témpore novíssimo, in quo exsultábitis.

## Ad nonam

*Capitulum*

**M**ÓDICUM si nunc opórtet contristári in váriis tentatióibus, ut probátio fidei vestráe, multo pretiósior sit auro, quod per ignem probátur, inveniátur in láudem et glóriam et honórem, in revelatióem Iesu Christi, Dómini nostri. Deo.

## Ad secundas vespas

*Antiphona* Iurávit Dóminus, et non pœnitébit eum. *Ps.* Dixit Dóminus, *sicut de apostolis.* *Capitulum:* Petrus, apóstolus Iesu Christi, *ut supra.* *Responsorium:* Petre, amas me. *Hymnus:* Iam bone pastor. *Versiculus:* In omnem terram. *Ad Magnificat antiphona:* Quodcúmque ligáveris super terram. *Quære infra, ut dictum est.*

## IN VIGILIA SANCTI MATHIÆ APOSTOLI

[Homelia:] Hæc mando vobis. **Capitulum:** Benedictus Deus, et Pater Dómini nostri Iesu Christi, qui benedíxit nos. **Quære in communi.**

## Ad primas vesperas

**Antiphona:** Excélsus. **Ps.** Laudáte, púeri. **Cum ceteris antiphonis et psalmis, ut in communi.**

**Capitulum**

**I**N diébus illis, exúrgens Petrus in médio fratrum, dixit. Erat autem turba hóminum simul, fere centum vigínti. « Viri fratres, opórtet impléri Scriptúram, quam prædíxit Spíritus Sanctus per os David de Iuda, qui fuit dux eórum, qui comprehendérunt Iesum, qui connumerátus erat in nobis, et sórtitus est sortem ministérii huius, et hic quidem possédit agrum de mercéde iniquitátis, et suspénsus crepuit médius, et diffúsa sunt ómnia víscera eius. » Deo.

**Responsorium**

**Ecce, vere Israëlita, in quo dolus non est invéntus, qui probátus et eléctus est sacerdos factus, \* iuxta órđinem Melchisedech. V.** Státuit ei Dóminus testaméntum sempitérnum, et dedit illi sacerdotium magnum. **Iuxta órđinem.**

**Hymnus:** Exúltet cælum láudibus. **Versiculus:** In omnem terram. **Ad Magnificat antiphona:** Ecce, ego mitto vos, **ut in communi.**

**Oratio**

**D**EUS, qui beátum Mathíam apostolorum tuórum collégio sociásti, tríbue, quæsumus, ut eius interventióne, tuæ circa nos pietátis semper víscera sentiámus.

**Eodem die Gerardi martyris**

## Antiphona



**A** progénie in progénies fecit misericórdiam Dóminus, qui edúxit Abraham de Ur Chaldæórum, et de últimis fínibus terræ vocávit sanctum Gerárdum, ut in hac terra nostra peregrínus esset et ádvena, et in illa vera cælésti pátria · civis sanctórum et domésticus Dei, ubi nobis datus a Deo patrónus iúgiter intercédere dignétur pro hac sancta plebe et univérsis fidélibus alleluía.

**Versiculus:** Glória et honóre.

## Oratio

**D**EUS, qui beátum Gerárdum pontíficem agóne martýrii et stola immortalitátis coronásti, concéde propítius, ut cuius sollemnitátem devótis méntibus celebrámus in terris, eius perpétua defénsióne muniámur in cælis. Per.

## Historia de communi.

## Lectio prima

**C**UM præclára beáti Mathíæ apóstoli festívitatis per anni cursus revolutionem se repræsentat, máximæ iocunditátis gáudia mérito nobis múltiplicat. Cur enim homo detráctat gaudére, cum carnis suæ portiónem per misericórdiam Dei, et mediátoris hóminum, cognóscat in cælo collocári? In hac síquidem die, sicut fidélis trádidit antíquitas, sanctus apóstolus Mathías cárneæ habitatiónis ergástulo solútus, in cæléstis régíæ áula, lætántibus ángelis feliciter est susceptus. Hódie iuxta vocem psalmístæ: in pace factus est locus eius, et in Sion habitatio eius. Tu.

## Lectio secunda

**D**ÉNIQUE, ut apostolicórum áctuum édocet scripta, postquam Iudas pœnas suis sceléribus dignam se suspendéndo suscepit, ne apóstoli in undenárii imperfectióne, velut decalogi transgressóres remanérent, Bársaban et Mathíam eligétes, in médio statuétes, atque fusa ad Dóminum prece, sortes super eos dedérunt. Légimus in Véteri Testaméto Ionam prophétam cum mallet fúgere, quam Nínive subversiónem prædicáre, ob maríne tempestátis perículum sortis agitatioe deprehénsus. Quod licet, divína dispensatióne



speremus contigisse, non tamen trahere convénit in exémplo, quod a viris gentílibus constat peráctum. Tu.

#### Lectio tertia

**I**ONAS, qui interpretátur colúmba, quem suo præfiguráret exémplo, Dóminus docet in Evangélio, dicens: « Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diébus et tribus noctis, ita erit fílius hóminis in corde terræ. » Sed et in lege, sacérdos summus sorte quærebátur, sicut de Zachária dicitur: « Secúndum consuetúdinem sacerdotií éxiit sorte, ut incénsum póneret. » Qua in re týpice monstrabátur, verum sacerdotem semper esse quæréndum, donec ille veníret in carne, qui, ut Apóstolus ait: « Non per sánguinem hircórum aut vitulórum, sed per próprium sánguinem introívit semel in sancta, æténa redemptióne invénta. » Tu.

#### Lectio quarta

**E**T quia Salvátor noster non venit legem sólvare, sed adimplére, Apóstoli non debúerant súbito a mandáto véteris legis discrepáre, donec per orbem radiánte lúmine evangélicæ prædicatiónis, paulátim evanesceret umbra veritátis. Ut sicut magíster sua circumcisióne, ac legálibus hóstiis pro se Deo Patri oblátis véteri legi ac circumcisióni, ita discípuli hac in re finem impónerent antiquárum sórtium inquisitióni. Hinc est, quod póstmodum septem diáconi nequáquam sorte ad opus ministérii eligúntur, sed apostolórum tantum oratióne páriter et mánuum impositióne venerabiliter ordinántur. Hæc idcírco, dilectíssimi proférre dignum dúximus, ne simplicióres quique exémplo apostolórum putent, Deum sórtibus hoc in témpore consuléndum, cum magos, ariólos, sortilegos sacræ scriptúræ auctoritáte certíssime sciámus esse damnádos, quamquam et præcedéntium sanctorum sortes mérito mundíssimæ intelligántur preces, áliquid divínæ cleméntiæ iudícium de re dúbia postulátes. Quo sórtium género beátus Mathías eléctus, apostolórum collégio est associátus. Tu autem.

#### Lectio quinta

**M**ATHÍAS namque Dei párvulus interpretátur. Cum víderis parvum, non córporis quantitátem, sed morum atténde qualitátem: Dei parvus intelligitur húmilis et quiétus. Unde Dóminus præcépit in Evangélio, dicens: « Dícite a me, quia mitis sum et húmilis corde, et inveniétis réquiem animábus vestris. » Et álibi:

« Sínite párvulos veníre ad me, tálíum est enim regnum cælórum. » Hanc vocem Dei parvus, áuditu intélligens, atque actu intellécta perficiens, iure duodenárium supérbi apóstatae mutilátum abiectióne suae parvitátis complévit adiectióne, ut per ipsum tunc perficerétur in re, quod olim prædixerat David in spe: « Fiat – inquit – habitatio eius, vidélicet Iudæ traditóris, deserta, et non sit, qui inhábitet in ea, et episcopátum eius accípiat alter. » Quem iste sanctus suscípiens obædiéndo, honorífice decorávit evangelizándo. Nec vacat a mystério duodenárius apostólicæ dignitátis ordo. Duodenárii étenim summa, quæ tribus ac quatuor ínvicem multiplicátis succrésit, sive enim tria per quatuor, vel quatuor per tria múltiples, eándem duodenárii formam procreári conspícies, signíficat fidem sanctæ Trinitátis per voces quatuor Evangelistárum, atque eorúmdem apostolórum prædicatiónem per latitúdinem quadrífidi orbis prædicándum. Tu.

#### Lectio sexta

**P**ÓSSUMUS et áliud intuéri, et iam idem duodenárius, æquálibus suárum pártium quantitátibus mensus, in decem et sex computátur. Nam duodenárii médietas sunt sex, tértia pars quatuor, quarta pars tria, sexta duo, duodécima unum. Ergo sex et quatuor et tres et duo et unus sédecim faciunt. Et decem quidem ad decalogi mandáta pértinent, senárius vero, qui nullo sui damno minúitur, aut supérflua adiectióne augétur, sed æquálibus membrórum suórum pariétibus, arismética [!] lege perféctus pronuntiátur, perféctam supra decalogi signíficat impletiónem. Quam beátus Mathías consecútus, taléntum sibi a Dómino per coapóstolos suos crédito, non, ut servus piger in terra abscondit, sed fidélium corda voce et ópere instruéndo, velut prudens servus, cumuláre non cessávit. Quaprópter ex Domínica voce hodiérna die proméruit audíre: « Euge, serve bone et fidélis, quia super páuca fuísti fidélis, super multa te constítuam, intra in gáudium Dómini tui. » Tu.

Secúndum Mattháeum

**I**N illo témpore, respóndens Iesus dixit: « Confíteor tibi Pater, Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis. » Et réliqua.

**Lectio septima** Homélia lectionis eiusdem <sup>r</sup>

**E**XULTANS Iesus in Spíritu Sancto, et dixit: *Confíteor tibi, Pater Dómine cæli et terræ, quia abscondísti hæc a sapiéntibus et prudéntibus, et revelásti ea párvulis.* Exsúltans in Spíritu Sancto, de salute humílium, quibus loquebátur. Grátias agit et exsúltat in Patre, quod apóstolis advéntus sui apéruit sacraménta, quæ ignoravérunt scribæ et pharisæi, qui sibi sapiéntes videbántur, unde supra: *Iustificáta est sapiéntia a filiis suis.* Conféssio non semper pœniténtiam, sed aliquándo gratiárum actiónem significat. In hoc, quod ait Pater: osténdit se génitum a Deo, non creatum, ut hæréfici dicunt. In hoc, quod dicit: *Dómine, creatórem cæli et terræ. Pulchre sapiéntibus et prudéntibus,* non insipiéntes et hébetes, sed párvulos, id est húmiles oppósuit, ut probáret se tumórem damnáre, non acúmen sciéntiæ. Humílitas enim est clavis sciéntiæ, de qua álibi dicit: «Tulistis clavem sciéntiæ» hoc est: humilitátem fidei Christi, qua ad divinitátis eius agnitióem perveníre poterátis. *Etiam, Pater, quia sic fuit plácitum ante te,* sensus est: Certe, Pater, hoc fecísti, quia sic plácuít ante te, id est: tibi, in conspéctu tuo. Tu.

**Lectio octava**

**H**IS verbis exémpa humilitátis accévimus, ne témere discútere supérna consília de aliórum vocatióne aliorúmque repulsióne præsumámus. Non enim ratiónem réddidit, sed sic Deo plácitum dixit, osténdens, quia iniústum esse non potest, quod plácuít iusto. Unde et in vínea laborántibus mercédem reddens ait: «Volo et huic novíssimo dare, sicut et tibi.» In cunctis ergo disponéndis apérta ratio est, occúltæ iustítia voluntátis. *Omnia mihi trádita sunt a Patre meo.* Ideo confíteor Patri, quia ómnia mihi trádidit Pater. Non dicit: ómnia de eleméntis, sed de his, qui per Fílium accédunt ad Patrem, et ante erant rebélles. De his ómnibus álias dicit: «Omne, quod dat mihi Pater ad me véniet» Vel ita: «Cum áudis ómnia, agnóscis omnipoténtem, non decolórem, non degénerem Patris, cum áudis trádita, confitéris Fílium, cui per natúram uníus substántiæ ómnia iure sunt própria, non dono colláta per grátiam.» Nota, quia Christus in eo, quod homo est, confitétur, id est: grátias agit Patri, imo individúæ Trinitáti. In hoc vero, quod ipse est splendor, qui de

---

<sup>r</sup> Wernerus sancti Blasii: Libri deflorationum, 5, De vitis et operibus malis. De virtutibus quoque et operibus bonis. Dominica V. post Theophaniam. Secundum Matthæum. PL 157 0837

Patre splénduit, supra intelléctum, nullas refert grátias, licet ómnia a Patre hábeat, quia per natúram habet. *Et nemo novit Fílium, nisi Pater, neque Patrem quis novit, nisi Filius, et cui volúerit Fílius reveláre.*

#### Lectio nona

**E**RUBÉSCAT Eunómius, dicens se plenam notítiam habére de Patre et Fílio. Non ita intelligéndum est hoc, quasi Fílius a nullo possit sciri, nisi a Patre solo. Pater autem non solum a Fílio, sed ab eis étiam, quibus reveláverit Fílius, sed ad utrúmque referéndum est, quod ait, et cui volúerit Fílius reveláre, ut intelligámus utrúmque per Fílium revelári. Verbo enim suo Pater se declárat, ut verbum scripsum declárat, quia mentis nostræ lumen est. Trá dita autem Fílio ália non sunt, quam quæ in eo soli Patri nota sunt. Nota vero soli Fílio sunt, quæ Patris sunt, atque ita in hoc mútuæ, cognitiónis secréto intelligitur, non áliud in Fílio ignorábile exstitisse, quam quod in Patre ignorábile sit. Atténde, ubi solus Pater, Fílium, solúsve Fílius Patrem nosse dicitur, non nisi creaturárum fíeri exclusiónem, nec enim Fílius a notítia sui ipsíus excípitur, neque Pater, quin seípsum cognóscat excluditur, et Spíritus Sanctus utrúque consubstantiális, ad [!] utrúsq; plena agnitióne nequáquam separátur. Unde et Páulus: «Spíritus scrutátur ómnia, étiam profúnda Dei.» Tu.

## Laudes

De communi.

## Ad sextam

#### Capitulum

**V**IRI fratres, opórtet ergo ex his viris, qui nobíscum sunt congregáti in omni témpore, quo intrávit et exívit inter nos Dóminus Iesus, incípiens a baptísmate Ioánnis, usque in diem, qua assúptus est a nobis, testem resurrectionis eius nobíscum fíeri unum ex istis.

## Ad nonam

### Capitulum

**E**T statuérunt duos, Ioseph, qui vocabátur Bársabas, qui cognominátus est Iustus, et Mathíam, et orántes dixerunt: « Tu, Dómine, qui corda nosti ómnium, osténde, quem elégeris ex his duóbus unum, áccíperere locum ministérii huius et apostolátus, de quo prævaricátus est Iudas, ut abíret in locum suum. » Et dedérunt sortes eis, et cécidit sors super Mathíam, et annumerátus est cum úndecim apóstolis. Deo.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Iurávit Dóminus et non pœnitébit eum. **Ps.** Dixit Dóminus, **ut in communi.** **Capitulum, ut supra.** **Responsorium:** Fuérunt sine quæréla. **Hymnus:** Exúltet cælum láudibus. **Versiculus:** In omnem terram. **Ad Magnificat antiphona:** Beáti éritis.

## IN FESTO SANCTÆ VALPURGÆ

### Oratio

**D**EUS, qui inter innúmera grátiae tuæ dona étiam in sexu femíneo tua operáris magnália, concéde propítius, ut beátæ Valpúrgæ vírginis tuæ, apud misericórdiam tuam patrocínia sentiámus, cuius non solum castitátis irradiámur exémpis, verum étiam miraculórum glória iocundámur.

## IN FESTO SANCTARUM PERPETUÆ ET FELICITATIS

### Oratio

**D**A nobis, Dómine, Deus noster, sanctárum mártýrum tuárum Perpétuæ et Felicitátis palmas incessábili devotióne venerári, et eárum iúgiter supplicatióne muníri. Per.

## DE SANCTO THOMA DE AQUINO

**Capitulum:** Optávi, et datus est. **Homelia:** Vos estis sal terræ.

**Oratio**

**D**EUS, qui ecclésiám tuam beáti Thomæ confessóris tui · mira eruditíone claríficas, et sancta operatíone fecúndas, da nobis, quæsumus, et quæ dócuit intellécta conspícere, et quæ egit imitatíone complére. Per.

*Alia omnia in communi de uno confessore non pontifice.*

## IN FESTO SANCTI GREGORII PAPÆ ET CONFESSORIS

Ad vesperas

**Antiphona:** Sancte Gergóri conféssor etc. **Ps.** Laudáte púeri. **Capitulum:** Ecce, sacerdos magnus, qui in vita.

**Responsorium**



**O**, vere felicem præsumem, vere fidei doctórem, quo petente panis Christi formam accépit dígití, \* ad firmándam plebis fidem versus incruéntam carnem. **V.** A Dómino factum est istud, et est mirábile in óculis nostris. **Ad.**

**Hymnus:** Iste conféssor. **Versiculus:** Amávit eum.

**Ad Magnificat antiphona**



**G**loriósá sanctíssimi sollémnia Gregórii toto corde · cathólica suscipiat ecclésia, cuius doctrína áurea per mundi splendet climáta, quam méritis et præcibus Christo comméndet, quæsumus.

**Oratio**

**D**EUS, qui ánimæ fámuli tui Gregórii ætérnæ beatitúdinis præmia contulísti, concéde propítius, ut qui peccatórum nostrórum

póndere præmimur, eius apud te præcibus sublevæmur. Per.

## Ad matutinas

### Invitatorium



Ad Dóminum vígiles convértite mentes \* Gregórium vígilem cæli, qui vexit ad arcem. Ps. Veníte.

## In primo nocturno

### Antiphona



Gregórius ortus Romæ ex senatórum sángine, fulsit mundo velut gemma auro superáddita, dum præcláριο præcláris hic accéssit atávis. Ps. Beátus vir.

### Antiphona



Líneam sui géneris factis et dictis éxtulit, bibens in puerítia, quod ructávit póstea. Ps. Quare fremuérunt.

### Antiphona



A dhærébat morálibus, seniórum relátibus, quos tenáci memóriæ non cessábat committere. Ps. Dómine, quid multiplicáti.

**Versiculus:** Amavit eum.

### Lectio prima

**G**REGÓRIUS urbis Romæ epíscopus, patre Gordiáno éditus, non solum spectábili senatórum prosápia, verum étiam religiósam

originem duxit. Nam Felix eiusdem apostolicæ sedis antistes, vir magnæ in Christo et ecclesiæ gloriæ eius atavus fuit. Hanc vero Gregorius tantæ nobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit. Denique, ut post in propatulo claruit, non sine magno quoddam præsigio tale sortitus est nomen. Gregorius namque ex Græco elôquio in nostram linguam Vigilantius sonat. Re etenim vera vigilavit sibi, dum divinis inhærendo præceptis, laudabiliter vixit: vigilavit et fidelium populis, dum doctrinæ affluentis ingenio, eis, quo tramite ad cælestia scânderent, patefecit. Tu.

**Responsorium**



**F**ulgébat in venerando duplex decus Gregório senatoria dignitas secundum genus sæculi \* voluntaria paupertas iuxta præceptum Dómini. **V.** Beátus vir, qui timet Dóminum, in mandátis eius cupit nimis. **V**oluntaria.

**Lectio secunda**

**D**ISCIPLINIS liberálibus a púero institútus, cum oblectaménta lenocinántis sæculi haud ségnitur, respuísset Díndymis cælestis éduli æstuans saginári cœpit curiosis áuribus, fluénta Domínicæ propinatiónis die noctúque hauríre, quotquot ardéntior fuit in acquiréndis spiritalibus, tanto fervéntior in erogándis carnálibus, ut dum mente cælestia aspéxit, étiam córpore terréna despéxit. Erogávit itaque locúples ópibus indigéntibus substántiam paritúram, et quæ fuit, própria sibi fecit aliénam. Efféctus iam miles Christi víscera fregit in páuperes, ut egénum pro nobis factum Christum ipse sequerétur egens. Quod autem esuriéntibus resíduum fuit, fundátis monastériis, et monachórum aggregátis agmínibus cóntulit, et ipse monáchicæ vitæ colla substérnens, qui prius séricis rutilánte áuro, gemmísque micántibus per pláteas solébat incédere trabeátus, ministrábat páuper ipse Christi paupéribus. Tu.

**Responsorium**



**V**idens Romæ vir beátus anglórum forte púeros, bene inquit, bene angli vultu nitent, ut ángeli \* opórtet illis monstrári iter salútis



ætérnae. **V.** Quóniam Dómini est regnum et ipse dominábitur géntium. **Opórtet.**

Lectio tertia

**V**ERUM quia multa restant, quæ de huius viri sanctimónia certis possunt attestatióibus prædicári, quæ étiam ex relatióne maiórum, scripturísve priórum comprehénderi, his inserénda decrévi. Quadam die, cum adveniéntibus nuper negotiatóribus multa venália in forum Románæ urbis fuissent propósita, multique ad eméndum undíque confluíssent, cóntigit et Gregórium virum Deo digníssimum præteríre. Qui cernens inter alia púeros córpore cándidos, forma pulchérrimos, vultu venústos, capillórum quoque nitóre perspícuos esse venáles, intérrogat mercatórem, de qua pátria eos attulíisset. Ille respóndit: « De Británnia ínsula, cuius incolárum ómnium fácies símili candóre fulgésцит. » Gregórius dixit: « Christiáni sunt idem insuláni, an adhuc pagánis tenéntur erróribus implicáti? » Mercátor respóndit: « Non sunt Christiáni, sed pagánis tenéntur láqueis irretíti. » Tu.

Responsorium



**D**um oráret in obscúro servus Dei latíbulo, lux imménsa super eum resplénduit post tríduum \* hoc signo cunctis próditus, papa urbis effícitur. **V.** Quia misericórdiam et veritátem dilígít Deus, grátiam et glóriam dabit Dóminus. **Hoc** signo.

## In secundo nocturno

Antiphona



**G**regórius, ut créditur divínitus sic díctur, qui sibi et Ecclésiæ vigilávit cathólicæ. **Ps.** Cum invocárem.

## Antiphona



**S**túdiis liberálibus nulli secúndus hábitus prætor urbánus éxstitit adoléscentis spectábilis. **Ps.** Verba mea áuribus.

## Antiphona



**H**ic ab adoléscentia divína fretus grátia anheláre non désiit ad regnum vitæ pérpetis. **Ps.** Dómine, dóminus noster.

**Versiculus:** Iustum dedúxit Dóminus.

## Lectio quarta

**T**UNC Gregórius ácritèr ingemíscens: « Heu pro dolor! Inquitis, quam spléndidas fácies princeps tenebrárum nunc pósidet, tantæque frontis vácuam ab intérna Dei grátia mentem gestat. » Rursus intérogat: « Quod esset vocábulum gentis illíus? » Mercátor respóndit: « Angli vocántur. » At ille: « Bene, inquit, Angli, quasi ángeli, et quia angélicos vultus habent, et tales in cælis angelórum decet esse concíves. » Iterum ergo intérogat, quod nomen habéret ipsa província. Mercátor respóndit: « Provinciáles illi Deíri vocántur. » Et Gregórius: « Bene, inquit, Deíri, quia de ira sunt eruéndi, et ad grátiam Christi convocándi. Rex - ait - illíus provínciae quómodo nuncupátur? » Mercátor respóndit: « Ahélle vocátur. » Et Gregórius, allúdens ad nomen, dixit: « Bene, quia rex dicitur Ahélle. Laus étenim in láude Creatóris opórtet illis in pártibus decantári. » Et eándem Anglórum gentem, vidélicet bárbaram póstmodum ab idolórum cultúra per sanctos prædicatóres suos Mèllicum et Augustínium et eórum sócios convértit, et de vasis diáboli vasa Christi munda effécit. Tu autem.

## Responsorium



**P**ropter intolerábiles rerum curas mundanárum recusábat præsulátum suscipere Romanórum \* sed victus prece pópuli

suscépit iugum Dómini. **V.** Nec fecit próximo suo malum, et oppróbrium non accépit advérsis próximos suos. **Sed** victus.

Lectio quinta

**M**ATRÓNA quædam divínis officiis diligénter insérviens, et missárum sollémniis semper incúmbens sólita fúerat. Dum póntifex sacra confectúrus intráret, oblátam própriis mánibus factam, ipsi devóta offerre, et manum sanctam osculándo contrúdere, sicque mistério Domínicæ passiónis perácto, íterum ex eius mánibus thesáuri incomparábilis portiónem accípere. Cui cum quædam die póntifex ex eádem, quam obtúlerat, obláta partem communicatúræ trádere volúisset, dicens: « Corpus et sanguis Dómini nostri Iesu Christi proficiat tibi in vitam ætérnam! » Recognóscens, quid ipsa fécerat, et obtúlerat, et ignára virtútis Domínici sacraménti subrisit. Quod spiritális papa cóntuens, retráxit fidélis mystérium, quod infidéli porréxit. Indequé ad pópulum sermónem exórdiens, relicto in ara sacraménto movit super id divínium postulári auxiliium, ut uníus infidélitas muliéris, cunctis de cétero ad fidem proficeret pópulis. Ipse vero post oratiónem suam et pópuli accéndens ad altáre, et inploráto Christi nómine, cuius erat fundátus in fide, invénit partem dígiti auriculáris ex præfáta portiúnis oblátæ. Quam mulieri, et cunctis ibídem Deum implorántibus ad intuéndum præbens verámque carnem osténdens. Tu.

Responsorium



Oránte beatíssimo ad Dóminum Gregório \* sanáta est plebs Romána a peste inguinária. **V.** Multum enim valet deprecátio iusti assídua. **Sana.**

Lectio sexta

**I**TERUM credénti ecclésiæ persuásit, ut précibus obríxis insisterent, quátenus id, quod víderant, veram carnem in spiritálem verterétur panem. Ut et mulieri proficeret sancta et sumptuósa fideíque Christiánæ religio, et cunctis audiéntibus vera relátio. Quod et factum est. Súbito enim caro mutáta in panem data est mulieri in communióne et ad perpétuam fidem. Postquam autem beátus Gregórius sedem sanctæ cathólicæ et apostólicæ Románæ Ecclésiæ

annis trédecim, ménsibus sex, diébus decem doctrínis páriter et opéribus felicíssimis illustrávit, anno impérii Foce secúndo, indictióne séptima, quarto iduum Martiárum, a carnis corruptióne subtráctus est, incorruptiónis perpétuæ glóriæ sublimándus. Qui vidélicet omni vitæ suæ témpore, sic novas basílicas non mínime fabricárat, ita nimirum fabricatárum véterum sartatécta cum summo stúdio annuáliter reparábat. Quas reddítibus lumináribus, officiis atque donáriis cúmulans, in basílica beáti Petri apóstoli fastígium de argénto puríssimo, quid a Leóne tértio pontífice in basílica Sixtiána sanctæ Mariæ nómine dedicáta translátum est, fabricávit, et in basílica beáti Páuli apóstoli super altáre nihilóminus áliud fastígium procurávit. Huius prætérea venerábile corpus in extrémá parte portícuum basílicæ beáti Petri apóstoli, ante secretárium tunc antiquíssimus, quo vidélicet Leo, Simplícus atque Galérius et Symmáchus apostólicæ sedis episcopi, tum nonnúllis áliis tumuláti, suis háctenus epitáphis prædicántur. Sepúltum tali título decorátur: Súscipe, terra, tuo corpus de córpore sumptum, réddere, quod váleas, vivificánte Deo. Tu autem.

**Responsorium:** O, vere felicem præsulem, *ut supra*.

## In tertio nocturno

**Antiphona**



**S**ex struxit in Sicília vir clarus monastéria, et infra urbem séptimum, in quo se fecit mónachum. **Ps.** Dómine, quis.

**Antiphona**



**H**is sane monastériis prædia large tríbuit, reliqua tandem véndidit, et egénis distribuit. **Ps.** Dómine, in virtúte.

## Antiphona



Qui solébat in séricis procédere indumentis, post in abiéctibus véstibus servit páuper paupéribus. **Ps.** Dómini est terra.

**Versiculus:** Non est invéntus. **Homelia:** Homo quidam pégre. **vel:** Vos estis sal terræ.

## Responsorium



Sanctus papa Gregórius, vir totus apostólicus, postquam præsédit cáthedræ pérvigil apostólicæ \* carne solútus hódie adívit regem glóriæ. **V.** Innocens mánibus et mundo corde, quo non accépit in vano ánimam suam. **Carne.**

## Responsorium



Hódie præclaríssimus Deo dignus epíscopus, et Anglórum apóstolus \* a terrénis separátus coniúctus est cæléstibus, cum glória Gregórius. **V.** Ecce, vere Israélita, in quo dolus non est. **A** terrénis.

## Responsorium



O, pastor apostólice, Grégori beatíssime, tuo posce precámine increméntum Ecclésiæ \* tuo rigánte dógmate, ac defensánte ópere. **V.** Memor esto congregatiónis cathólice, et dextera Dei plantátæ víneæ. **Tuo rigánte.**

## Ad laudes

### Antiphona



**G**regórius vigíliis conféctus, et ieiúniis se macerábat córpore et spe vigébat ánimæ. **Ps.** Dóminus regnávít.

### Antiphona



**L**entis quidem, sed iúgibus hic æstuábat fébribus pódagræ, necnon sýncopis pulsabátur incómmotis.

### Antiphona



**C**ælésti cinctus vérbere vir miræ innocéntiæ præsumébat se díligi, quo merebátur árgui.

### Antiphona



**B**issénos nummos ángelo hic dedit, quasi naufrágo, huic scutéllam argéteam, quam sibi vidit réliquam.

### Antiphona



**V**írginum tria mília Romæ pavít sub régula, excéptis Dei fámulis longe vel prope pósitois.

**Capitulum ut supra.** **Hymnus:** Ad sacrum. **Versiculus:** Os iusti.

## Ad Benedictus antiphona



Christi fidélis fámulus prudénsque Gregórius, postquam in suo témpore vixit eius famíliæ cælo réddidit ánimam, terræ carnis matériam.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Gregórius. **Cum ceteris antiphonis.** **Ps.** Dixit Dóminus. Confitébor. Beátus vir. Crédidi propter. In converténdo. **Capitulum ut supra.** **Responsorium:** O, pastor. **Hymnus:** Iste conféssor. **Versiculus:** Amávit eum.

## Ad Magnificat antiphona



O, Grégori dulcíssime Sancti Spíritus órganum atque virtútum spéculum, posce nobis suffrágium, ut hoc póssimus conséqui, quo te gaudémus pérfrui.

## IN FESTO SANCTI BENEDICTI ABBATIS ET CONFESSORIS

[Ad vesperas]

## Antiphona



Sanctíssime conféssor Dómini, monachórum pater et dux, Benedícite, intercéde pro nostra omniúmque salúte. **Ps.** Laudáte, púeri.

**Capitulum:** Diléctus Deo.

## Responsorium



**B**eátus Benedíctus dum in hac terra esset, quo temporáliter líbere uti potuísset \* iam quasi áridum mundum cum flore despéxit. **V.** Relícta domo rebúsque patris sui soli Deo placáre desíderans sancte conversatiónis hábitum quesívit. **I**am.

**Hymnus:** Iste conféssor. **Versiculus:** Amávit eum.

## Ad Magnificat antiphona



**A**ve pater glorióse, monachórum gemma, Benedícite, qui tantam glóriam promeruísti in cælis, quæsumus magistério tuo adhæréntes, ne dimíttas órphanos in terris.

## Oratio

**O**MNÍPOTENS sempitérne Deus, qui hodiérna die carnis edúctum ergástulo beátum Benedíctum, confessorém tuum sublevásti in cælum, concéde, quæsumus, hæc festa tuis fámulis celebrántibus cunctórum véniam delictórum, ut qui exultántibus ánimis, eius claritáti congáudent, ipso apud te intercedénte consociéntur et méritis. Per.

## Ad matutinas

## Invitatorium



Confessorum regem adorémus \* qui cælestis regni méritum et glóriam concessit sancto suo, Benedícto. **Ps.** Veníte.



## In primo nocturno

### Antiphona



Fuit vir vitæ venerabilis, grátia Dei abbas, Benedíctus. **Ps.** Beátus vir.

### Antiphona



Ab ipso puerítiae suæ témpore, cor gerens sénile, ætátem quippe móribus tránsiens nulli ánimum voluptáti dedit. **Ps.** Quare fremuérunt.

### Antiphona



Dum in hac terra esset, quo temporáliter líbere uti potuísset, iam quasi áridum mundum cum flore despéxit. **Ps.** Dómine, quid.

**Versiculus:** Amávit eum.

### Lectio prima<sup>s</sup>

**F**UIT vir vitæ venerabilis, grátia Dei Benedíctus, et nómine ab ipso puerítiae sue témpore cor gerens sénile. Ætátem quippe móribus tránsiens, nulli ánimum voluptáti dedit. Sed dum in hac terra adhuc esset, quo temporáliter líbere uti potuísset, dexpéxit iam, quasi áridum mundum cum flore suo. Qui liberióre gènere ex província Núrsiæ exórtus, Romæ liberálibus litterárum stúdiis tráditus fúerat. Sed cum in eis multos ire per abrúpta vitiórum cérneret, eum, quem quasi in ingrèssu mundi posúerat, retráxit pedem, ne si quid de sciéntia eius attíngeret, ipse quoque póstmodum in immáne præcipítium totus iret. Tu autem.

---

<sup>s</sup> Vita S. Benedicti: Ex libro II Dialogorum S. Gregorii Magni excerpta. PL LXVI. 125.

## Responsorium



**F**uit vir vitæ venerabilis, grátia Dei Benedíctus et nómine \* ab ipso puerítiae suæ témpore cor gerens sénile, ætátem quippe móribus tránsiens, nulli ánimum voluptáti dedit. **V.** Dum in hac terra esset, quo temporáliter líbere uti potúisset, iam quasi áridum mundum cum flore suo despéxit. **A**b ipso.

## Lectio secunda

**D**ESPÉCTIS itaque litterárum stúdiis, relícta domo, rebúsque patris, soli Deo placére desiderans, sanctæ conversatiónis hábitum quæsívit. Recéssit ígitur sciénter néscius, et sapiénter indóctus. Huius ego ómnia gesta non dídici, sed pauca, quæ narro, quatuor discípulis illíus referéntibus agnóvi: Constantíno scílicet reverentíssimo valde viro, qui ei in regímine monastérii succéssit. Valentiniáno quoque, qui annis multis Lateranénsi monastério præfúit. Simplício quoque, qui congregatiónem illíus post eum cértius rexit. Honoráto étiam, qui nunc adhuc cellæ eius, in qua prius conversátus fúerat, præest. Hic itaque cum iam relíctis litterárum stúdiis, pétere desérta decrevísset, nutrix, quæ hunc ártius amábat, sola secúta est. Cumque ad locum venísset, qui Enfide dicitur, multisque honestióribus viris caritáte se illic detinéntibus, in beáti Petri ecclésia demoraréntur, prædícta nutrix illíus ad purgándum tríticum a vicinis muliéribus præstári sibi capistérium pétiit, quod super mensam incáute derelíctum, casu accidénte fractum est, sicque ut in duábus pártibus invenirétur divísium. Quod mox, ut rédiens nutrix illíus invénit, vehementíssime flere cœpit, quia vas, quod præstitum accéperat, fractum vidébat. Tu.

## Responsorium



**B**eátus Benedíctus cum iam relíctis litterárum stúdiis, pétere desérta decrevísset \* nutrix, quæ hunc ártius amábat, sola secúta est. **V.** Recéssit ígitur sciénter néscius, et sapiénter indóctus. **N**utrix, quæ.

## Lectio tertia

**B**ENEDICTUS autem religiósus puer et pius, cum nutrícem suam flere conspiceret, eius dolóri compássus, ablátis secum utrisque fracti capistérii pártibus, sese cum lácrimis in oratióne dedit. Qui ab oratióne surgens, ita iuxta se vas sanum réperit, ut in eo fractúræ inveníri vestigia nulla potuísset. Mox autem nutrícem suam blande consolátus, ei sanum capistérium réddidit, quod fractum túlerat. Quæ res in eódem loco a cunctis est ágnita, atque in tanta ammiratióne hábita, ut hoc ipsum capistérium eius loci incolæ in ecclésiæ ingrèssu suspènderent, quátenus et præses, et secutúri omnes agnóscerent. Benedictus puer conversatiónis grátia, quanta perfectiõe cœpisset, quod annis multis illic ante óculos ómnium fuit, et usque ad hæc Langobardórum témpora super fores ecclésiæ pepéndit. Tu.

**Responsorium:** Beátus Benedictus dum in hac **ut supra.**

## In secundo nocturno

## Antiphona



**N**úrsiæ província exórtus, Romæ liberálibus litterárum stúdiis tráditus a paréntibus fúerat. **Ps.** Cum invocárem.

## Antiphona



**R**elícta domo, rebúsque patris, soli Deo placére desíderans, sanctæ conversatiónis hábitum quæsívít. **Ps.** Verba mea.

## Antiphona



**R**ecéssit ígitur sciénter néscius, et sapiénter indóctus. **Ps.** Dómine, dóminus noster.

**Versiculus:** Iustum dedúxit.

## Lectio quarta

**S**ED Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quam laudes, et pro Deo laboribus fatigari, quam vitae huius favoribus extolli, nutricem suam occulte fugiens, deserti loci secussum petiit, cui Sublacus vocabulum est, qui ab Romana urbe quadraginta fere milibus distans, frigidam atque perspicuas emanat aquas. Quae illic, videlicet aquarum abundantia, in extensum prius lacum colligitur, ad postrimum vero in amnem derivatur. Quo dum fugiens pergeret, monachus quidam, Romanus nomine, hunc euntem reperit, quo tenderet requisivit. Cuius cum desiderium cognovisset, et secretum tenuit, et adiutorium impendit, eique sanctae conversationis habitum tradidit, et in quantum licuit, ministravit. Tu.

## Responsorium



**P**raedicta nutrix illius ad purgandum triticum a vicinis mulieribus capisterium petiit, \* quod casu accidente confractum est. **V.** Nutricis in auxilium grande fecit miraculum, primum in partes divisum revixit capisterium. **Q**uod.

## Lectio quinta

**V**IR autem Dei ad eundem locum perveniens, in artissimo specu se tradidit, tribusque annis, excipiente Romano monacho, hominibus incognitus mansit, qui videlicet Romanus non longe in monasterio sub Deo dilecti patris regula degerebat. Sed pie eiusdem patris sui oculis furabatur horas, et quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem vero specum a Romani cella iter non erat, quia excelsa desuper rupis eminebat. Sed ex eadem rupe in longissimo fune religatum, Romanus deponere panem consueverat, in qua etiam resti parvum tintinnabulum inseruit, ut ad sonum tintinnabuli vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem praebere, quem exigens acciperet. Sed antiquus hostis unius caritati invidens alterius refectio, cum quadam die submitti panem conspiceret, iactavit lapidem, et tintinnabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desiit. Tu.

## Responsorium



**F**rater Máure, curre velóclter \* quia puer plácidus iam mérgitur in amnem. **V.** Benedíctus, Dei fámulus, cum hoc prótinus agnovísset, Máurum vocávit, dicens: curre velóclter. **Q**uia puer.

## Lectio sexta

**C**UM vero iam omnípotens Deus, et Románum vellet iam a labóre quiéscere, et Benedícti vitam in exéplum homínibus demonstráre, ut pósita supra candelábrum lucérna clarésceret, quátenus ómnibus, qui in domo Dei sunt, lucéret, cuidam presbýtero lóngius manénti, qui refectiónem sibi in Pascháli festivitáte paráverat, per visum Dóminus apparére dignátus est, dicens: « Tu tibi delicias præparas, et servus meus illo in loco fame cruciátur. » Qui prótinus surréxit, atque in ipsa solemnitate Pascháli cum aliméntis, quæ sibi paráverat, ad locum teténdit, et virum Dei per abrúpta móntium, per cóncava vállium, per defóssa terrárum quæsívít, eúmque latére in specu réperit. Cumque oratióne facta, benedicéntes omnípoténtem Deum consedísset, post dúlcia vitæ collóquia, is, qui advénerat presbýter dixit: « Surge, et sumámus cibum, quia hódie Pascha est. » Cui vir Dei respóndit: « Scio, quod Pascha est, quia vidére te mérui. » Longe quippe ab homínibus pósitus, quia die eódem Paschális esset solémnitas, ignorábat. Venerábilis autem presbýter rursus asséruit, dicens: « Veráciter hódie resurrectiόνis Domínicæ Paschális dies est, abstinére tibi mínime cóngruit, quia et ego ad hoc missus sum, ut dona omnípoténtis Dei páriter sumámus. » Benedicéntes ígitur Deum, sumpsérunt cibum. Expléta itaque refectiόνem et collóquio, ad ecclésiám presbýter recéssit. Tu autem.

## Responsorium



**Q**uidam rústicus, defúncti corpus filii in ulnis ferens, orbitátis luctu æstuans, ad monastérium venit, Benedíctum fratrem quæsívít, quem mox, ut aspéxit clamáre cœpit: \* Redde filium meum, redde filium meum! **V.** Vir autem Dei in hac voce subsistit, dicens: Numquid ego filium tuum ábstuli? Cui ille respóndit, dicens. **R**edde.

## In tertio nocturno

### Antiphona



**Hic** itaque cum iam relíctis literárum stúdiis, pétere déserta decrevísset, nutrix, quæ hunc ártius amábat, secúta est. **Ps.** Dómine, quis hábitat.

### Antiphona



**Prædicta** nutrix illíus ad purgándum tríticum a vicínis muliéribus capistérium pétiit, quod casu accidénte confractum est. **Ps.** Dómine, in virtúte.

### Antiphona



**Nutrícis** in auxiliúm grande fecit miráculum, primum in partes divísium revíxit capistérium. **Ps.** Dómini est terra.

**Versiculus:** Non est invéntus. **Homelia:** Ecce, nos reliquimus ómnia. **Quære in commemoratione beati Pauli in æstate.**

### Responsorium



**Dómine** non aspicias peccáta mea, sed fidem huius hóminis, qui resuscitári fílium suum rogat, et redde in hoc corpúsculum ánimam, quam tulísti, et compléta oratióne, revíxit \* et sanum réddidit patri suo. **V.** Cuius manum cum tenuísset, concussióne mirífica treméndo palpitáre cœpit. **Et.**

## Responsorium



**A**nte sextum vero éxitus sui diem aperíre sibi sepultúram iubet \* qui mox corréptus fébribus acri cœpit dolóre fatigári, usque ad mortem. **V.** Cumque per dies áliquos lánguor ingravésceret, sexto die portári se in oratórium a discíplis fecit. **Q**ui.

## Responsorium



**S**anctissime conféssor Dómini, Benedícite, monachórum pater et dux \* intercède pro nostra omniúmque salúte. **V.** Devótæ plebi súbveni sancta intercessióne, ut tuis adiúta précibus regna cæléstia consequátur. **I**ntercède.

## Ad laudes

## Antiphona



**N**on aspicias peccáta mea, Dómine, sed fidem hóminis istíus, qui resuscitári fílium suum rogat, et redde in hoc corpúsculum ánimam, quam abstulisti. **P**s. Dóminus regnávít.

## Antiphona



**O**rávít sanctus Benedíctus: Dómine, non aspicias peccáta mea, sed fidem huius hóminis, qui resuscitári fílium suum rogat, et sub óculis ómnium vivéntem púerum réddidit patri suo.

## Antiphona



**V**ix obtínui apud Deum omnipoténtem, ut ex hoc loco mihi ánimæ cederéntur.

## Antiphona



**I**n tempestáte noctis, cum cuncta sunt sub siléntio, quasi sub solis rádio totum mundum conspéxit.

## Antiphona



**I**nítio consílio, venéno vinum miscuére, quo accépto signávit, sicque confráctum est, ac si pro signo lápidem detulisset.

**Capitulum:** ut supra. **Hymnus:** Ad sacrum. **Versiculus:** Os iusti.

## Ad Benedictus antiphona



**P**ater sanctus, dum inténta oculórum ácie in splendóre coruscánte lucis abíre viderétur, vidit Germáni ánimam Capuáni epíscopi in sphæra ígnea ab ángelis in cælum deférri.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Non aspíciens. **Ps.** Dixit Dóminus. Confitébor. Beátus vir. Crédidi. In converténdo. **Capitulum ut supra.** **Responsorium:** Sanctíssime. **Hymnus:** Iste conféssor. **Versiculus:** Amávit eum.



## Ad Magnificat antiphona



**H**ódie sanctus Benedíctus per viam oriéntis trámitem, vidéntibus discípulis, cælos ascéndit, hódie eréctis in cælum mánibus inter verba oratiónis migrávit, hódie ab ángelis in glória suscéptus est.

## IN ANNUNCIATIONE BEATÆ MARIÆ VIRGINIS [Ad vesperas]

**Antiphona:** Gábriel ángelus. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** Hæc dicit Dóminus Deus: «Egrediétur virga de radíce Iesse. » **Quære infra, in horis beatæ virginis de Adventu.**

## Responsorium



**C**hristi virgo dilectíssima, virtútum operátrix magnífica, opem fer miséris \* súbveni, dómína, clamántibus ad te iúgiter. **V.** Quóniam peccatórum mole prémimur, sanctíssima te precámur. **Súbveni, dómína.**

**Hymnus:** Ave, maris stella. **Quære in** O decus. **Versiculus:** Ave, María.

## Antiphona ad Magnificat



**I**ngrésus ángelus ad Mariám ait: « Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. »

## Oratio

**D**EUS, qui de beátæ Mariæ vírginis útero, verbum tuum ángelo nunciánte, carnem suscípere voluísti, præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Dei genitrícem crédimus, eius apud te intercessiόνibus adiuvémur. Per eúndem.

## Ad completorium

**Ps.** Cum invocárem. **Hymnus:** Lux mundi beatíssima. **Quære** O decus. **Capitulum:** Ecce, virgo concípíet. **Versiculus:** Emítte agnum, Dómine. **vel** Audi, filia.

**Ad Nunc dimittis antiphona**



**Diléctus** meus misit manum suam per forámen, et tétigit péssulum óstii mei, et venter meus intrémuit ad tactum eius, surréxi, ut aperírem dilécto meo, at ille declináverat atque transíerat.

**Oratio:** Grátiam tuam, quæsumus. Deus, qui illúminas.

## Ad matutinas

**Invitorium**



**Ave,** María, grátia plena, Dóminus tecum \* benedícta tu in muliéribus. **Ps.** Veníte.

## In primo nocturno

**Antiphona**



**Missus** est Gábriel ángelus a Deo in civitaté Názareth, ad vírginem desponsátam viro, cui nomen erat Ioseph. **Ps.** Dómine, dóminus noster.

**Antiphona**



**Ingréssus** ángelus ad Mariám ait: Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. **Ps.** Cæli enárrat.

## Antiphona



**M**aría turbáta est in sermóne ángeli, et cogitábat, qualis esset ista salutátio. **Ps.** Dómini est terra.

**Versiculus:** Egrediátur virga.

Lectio prima<sup>t</sup>

**V**ERE beáta María inter muliéres benedícta est, quæ sine exémplo muliébris conditiónis cum decóre virginitátis gavísa est honóre paréntis, quodque vírginem matrem decébat, Dei fílium procreávit. Quæ, postquam more humánæ fragilitátis, et visióne angélica, et insólita est salutatióne turbáta, mox idem ángelus eam repetíto sermóne, ne tímeat, hortátur. Quodque máxime tímórem repéllere consuévít, quasi bene cógnitam, ac domésticam próprio eam nómine vocat, et quare grátia plena díceret, diligénter édocet. « Ne tímeas, inquit, María, invenísti enim grátiam apud Dóminum. Ecce concípies, et páries fílium, et vocábis nomen eius Iesum. Hic erit magnus, et fílius Altíssimi vocábitur. » Tu.

## Responsorium



**I**ngréssus ángelus ad Mariám, ait \* Ave, grátia plena, Dóminus tecum. **V.** Benedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui. **Ave.**

## Lectio secunda

**N**OTANDUS sollérter ordo verbórum, et tanto ártius est cordi inseréndus, quanto manifeste patet, quia in his tota redemptiÓnis nostræ summa consistit. Nam manifestíssime Dóminum Iesum, id est, Salvatórem nostrum, et verum Dei Patris, et verum hómínis matris fílium prædicant. « Ecce, inquit, concípies in útero, et páries fílium. » Agnósce verum hunc hómínem, veram de carne vírginis sumpsísse substántiam carnis. « Hic erit magnus, et fílius Altíssimi vocábitur. » Confitére eúndem étiam Deum verum de

<sup>t</sup> Beda Venerabilis: Homiliæ, 1, Homilia prima. In festo annuntiationis beate Mariæ. PL XCIV. 9.

Deo vero, et ætérno Patri fílium esse coætérnum. Quod autem futúro témpore dícitur: «Hic erit magnus, et fílius Altíssimi vocábitur,» nemo ita intelligéndum putet, quod Dóminus Christus ante partum vírginis non fúerit, sed ita hoc pótius dictum intelligámus, quia poténtiam divínæ maiestátis, quam Dei Fílius æternáliter habúerit, hanc idem homo natus ex témpore accéperit, ut una in duábus natúris persóna esset Mediatóris ac Redemptóris nostri. Tu.

### Responsorium



**B**enedícta tu in muliéribus \* et benedíctus fructus ventris tui. **V.** Ave, María, grátia plena, Dóminus tecum. **B**enedícta.

### Lectio tertia

**E**T dabit illi Dóminus Deus sedem David, patris eius.» Sedem «**D**avid regnum dicit Israelíticæ plebis, quod suo témpore David, iubénte páriter et iuvánte Dómino, fidéli devotióne gubernávit. Dedit ergo Dóminus Redemptóri nostro sedem David, patris eius, quando hunc de género David incarnári dispósuit, ut pópulum, quem David temporáli império rexit, ipse grátia spiritali ad ætérnum provéheret regnum, de quo apóstolus ait: «Qui éruit nos de potestáte tenebrárum, et tránstulit in regnum caritátis suæ.» Hinc est, quod idem pópulus divíno admónitus instínctu, cum passúrus ille Hierosólymam properáret, in eius láudem gáudens decantábat: «Benedíctus, qui venit in nómine Dómini, rex Israël.» Et iuxta álium evangelístam: «Benedíctum, quod venit: regnum patris nostri David.» Aderat enim tempus, quo Redemptor per eius sánguinem mundo rex agnoscerétur, non solum domus David, sed et totíus Ecclésiæ, imo ómnium cónditor et rector sæculórum. Unde recte ángelus postquam dixit: «Et dabit illi Dóminus sedem David, patris eius,» contínuo subiúnxit: «Et regnábít in domo Iacob in ætérnum.» Domum namque Iacob: Ecclésiám dicit univérsam, quæ per fidem et confessiónem Christi ad patriarchárum pértinet sortem, sive in his, qui de patriarchárum stirpe carnis oríginem duxérunt, seu in illis, qui de áliis natióibus carnáliter éditi, spiritali lavácro sunt in Christo renáti. In qua vidélicet domo regnábít in ætérnum, et regni eius non erit finis. Regnat quippe in ea in præsénti vita, cum electórum corda per fidem et dilectiÓNem suam inhábitans regit, atque ad percipiéndá supérnæ retributiÓNis dona contínuá

protectiōne gubernat. Regnat in futūra, cum eōdem, finīto statu temporālis exsīlii, ad habitatiōnem patriæ cælēstis introducit. In qua præsenti eius visiōne semper admōniti, nihil āliud āgere, quam eius vacāre laudibus gāudent. Tu.

**Responsorium**



**M**arīa, ut audīvit, turbāta est in sermōne āngeli \* et cogitābat, qualis esset ista salutātio. **V.** Quo fiet istud, quōniam virum non cognōsco, āngele Dei. **Et** cogitābat.

## In secundo nocturno

**Antiphona**



**R**espōndens āngelus, dixit ad Marīam: Ne tīneas, Marīa, invenīsti grātiam apud Dōminum. **Ps.** Eructāvit.

**Antiphona**



**E**cce, concīpies et paries fīlium, et vocābis nomen eius Iesum, hic erit magnus, et filius Altīssimi vocābitur. **Ps.** Deus noster refūgium.

**Antiphona**



**D**abit illi Deus sedem David, patri eius, et regnābit in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis. **Ps.** Fundamēta.

**Versiculus:** Egrediētur Dōminus de loco sancto.

**Lectio quarta**

**D**IXIT autem Marīa ad āngelum: Quōmodo fiet istud, quōniam «**D** virum non cognōsco? » Quōmodo, inquit, fieri potest, ut concīpīam pariāmque fīlium, quæ in castimōnia virginitātis vitam

consummáre dispósui? Non autem, quasi incrédula, verbis ángeli, quómodo hæc impléri váleant, requírit, sed certa, quia oportébat impléri, quod et tunc ab ángelo audiébat, et prius a prophéta dictum légerat, quo id órđine impléndum sit, intérogat, quia vidélicet prophéta, qui hoc futúrum prædixit, quómodo fieri posset, non dixit, sed ángelo dicéndum reservávit. Respóndens ángelus, dixit ei: « Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi, ideóque et quod nascétur sanctum, vocábitur Fílius Dei. » Supervéniens in vírginem Spíritus Sanctus duóbus modis, in ea suæ divínæ poténtiæ efficiatiam osténdit, quia et mentem illíus ádeo, quantum humána fragílitas pátitur, ab omni vitiórum sorde castificávit, ut cælésti esset digna pártui, et in útero illíus sanctum ac venerábile Redemptóris nostri corpus sola sui operatióne creávit, id est: nullo viríli interveniénte attáctu, carnem de carne vírginis sacrosáncctam intemeráta formávit. Quem enim prius apérte Spíritum Sanctum dixit, hunc ípsam dénuo virtútem Altíssimi nominávit, iuxta hoc, quod Dóminus cum eiúsdem Spíritus advéntum discíplulis promíttet, ait: « Et ego mitto<sup>u</sup> promíssum Patris mei in vos. Vos autem sedéte in civitaté, quoadúsque induámini virtúte ex alto. » Obumbrávit autem beátæ Dei genetríci virtus Altíssimi, quia Spíritus Sanctus cor illíus cum implévit, ab omni æstu concupiscéntiæ carnis temperávit, emundávit a desidériis temporálibus, ac donis cæléstibus mentem simul illíus consecrávit, et corpus. Tu.

#### Responsorium



**D**ixit autem ángelus ad Maríam: Ne tíneas, María \* invenísti grátiam apud Dóminum. **V.** Ecce, concípies et páries filium, et vocábis nomen eius Iesum. **I**nvenísti.

#### Lectio quinta

**I**DEOQUE, et quod nascétur ex te sanctum, vocábitur Fílius Dei. »  
 « **Q**uia de sanctificatióne Spíritus concípies, sanctum erit, quod gignétur. Cóngruit conceptióri natívitatis, ut quæ contra humánæ conditiónis morem virgo cóncipis, supra humánæ consuetúdinis modum, Dei Fílium géneres. Omnes quippe hómínes in iniquitatibus concípimur, et in delictis nascimur. Quotquot autem donánte Deo,

<sup>u</sup> Javítva erról: mitta

ad vitam præordináti sumus ætérnam, ex aqua et Spíritu Sancto renáscimur. Solus vero Redémptor noster pro nobis incarnári dignátus, mox sanctus natus est, quia sine iniquitáte concéptus est. Póssumus sane in eo, quod dícitur: « Et virtus Altíssimi obumbrábit tibi » áltius quiddam de sacraménto Domínicæ incarnatiónis intelligere. Obumbrári enim nobis dícimus cum fervénte meridiáno sole, vel árborem médiam, vel áliud quódlibet umbráculi genus inter nos et solem oppónimus, quo ardórem eius vel lucem nobis tolerabiliórem reddámus. Redémptor ígitur noster non immérito solis luce vel ardóre designátur, qui nos veritátis sciéntia illústrat, et amóre inflámmat. Unde ipse per prophétam dicit: « Vobis autem, tíméntibus nomen meum, oriétur sol iustítiæ. » Cuius vidélicet solis rádios, beáta Virgo suscepit, quando Dóminum concépit. Sed idem sol, id est, divínitas Redemptóris nostri, tegímine se humánæ natúráe, quasi umbráculo quodam obtéxit, quo mediánte Vírginis eum víscera ferre sufficerent. Sicque virtus Altíssimi obumbrávit ei, dum divína Christi poténtia, et eam præsentíaliter implévit, et, ut capi posset ab illa substántia se nostræ fragilitátis, obnúbit. Tu.

#### Responsorium



**E**cce, concípies, et páries fílium \* et vocábis nomen eius Iesus. **V.** Hic erit magnus, et Fílius Altíssimi vocábitur, et dabit illi Dóminus sedem David, patris sui. **Et.**

#### Lectio sexta

**E**T ecce, Elizabeth cognáta tua, et ipsa concépit fílium in « senectúte sua. » Non, quasi incrédulam, exémpilis hortátur ad fidem, sed ut bene iam credénti, quæ audíerat, amplióra supérnæ dispensatiónis mirácula réplicat, ut quæ Dóminum virgo erat parítúra, præcursórem quoque Dómini, de anu ac diu stérili parénte cognósceret esse nascitúrum. Nec mirándum iuxta históriam, quod Elízabeth cognáta dicátur Maríæ, cum supérius hæc de domo David, illa de filiábis Aaron orta esse narrátur. Légimus namque, quod Aaron ipse de tribu Iuda, de qua David ortus est, uxórem accéperit, vidélicet Elízabeth, fíliam Amínadab, sorórem Naason, qui fuit dux tribus Iuda, cum egrederéntur ex Ægýpto. Rursúsque, regnántibus David pósteris, légimus, quod Ióiada póntifex máximus, uxórem habúerit de tribu regáli, hoc est, Iósabeth, fíliam regis Ioram. Ipse est

Ióíada, cuius fílium Zachariám virum æque sanctíssimum lapidavérunt inter templum et altáre, sicut étiam ipse Dóminus, beatórum mártýrum mentiómem fáciens, in Evangélio testátur. Unde tribus utrâque, hoc est, sacerdotális et régia, cognatióne semper adínvicem probátur esse coniúncta. Pótuít autem huiúsmodi coniúnctio étiam recentióri témpore fieri, datis núptui féminis de tribu in tribum, ut maniféste beátam Dei Genitricem, quæ de tribu régia descendit, cum tribu sacerdotáli cognatiómem géneris habuísse constáret, quod mystériis cæléstibus aptíssime cóngruit. Oportébat namque, ut appárens in mundo mediátor Dei et hóminum, de utrâque tribu carnis originem habéret, quia nímírum ipse in humanitáte assúpta, utrámque habitúrus erat persónam, et sacerdotís scílicet, et regis. Accépta ígitur tanta grátia, videámus beáta María, in quanta humilitátis arce persístat. Magnam quippe humilitátis constántiam tenet, quæ se ancíllam sui conditóris, dum mater elígitur, appéllat. Angélico oráculo incógnita adhuc céteris mortálibus arcána nostræ redemptiómis edocétur, nec tamen se de singularitáte mériti excellentiórís extóllit, sed pótius suæ conditiómis, ac divínæ dignatiómis in ómnibus memor, famulárum se Christi consórtio humíliter adiúgens, famulátum Christo devóta, quod iubétur, impéndit. Fiat, inquit, ut in meo útero Fílius Dei humanæ substántiæ hábitum índuat, atque ad redemptiómem mundi, tanquam sponsus suo ex thálamó procédat. Cuius vocem mentémque nos, o, fratres caríssimi, pro módulo nostro sequétes, fámulos nos Christi in cunctis áctibus nostris recolámus, eiúsque in obséquiis ómnia córporis nostri membra mancipémus, et ad eius impléndam voluntátem totum mentis nostræ intúitum dirigámus: sicque percéptis eius munéribus, grátias recte vivéndo reddámus, ut ad maióra percipiéndá digni exístere mereámur. Tu.

Responsorium



**D**abit illi Dóminus Deus sedem David, patris sui \* et regnábít in domo Iacob in aetérnum. **V.** Regni eius non erit finis. **Et** regnábít.



## In tertio nocturno

### Antiphona



**D**ixit autem María ad ángelum: Quómo-  
do fiet istud, quóniam virum  
non cognóscó. Et respóndens ángelus  
dixit ei: Spíritus Sanctus supervéniet  
in te, et virtus Altíssimi obumbrábit  
tibi. **Ps.** Cantáte **primum**.

### Antiphona



**I**deóque, et quod nascétur ex te  
sanctum, vocábitur Fílius Dei. **Ps.**  
Dóminus regnávít, exúltet.

### Antiphona



**D**ixit autem María ad ángelum: Ecce,  
ancílla Dómini, fiat mihi  
secúndum verbum tuum. **Ps.** Cantáte  
**secundum**.

**Versiculus:** Ex Sion spécies. **Homelia:** Missus est Gábriel ángelus. **Quære feria quarta**  
**in quatuor temporibus ante Natívitatis Domini.**

### Responsorium



**Q**uómo-  
do fiet istud, respóndens ait  
María, quia virum non cognóscó.  
Ángelus ad hęc \* Spíritus Sanctus  
supervéniet in te, et virtus  
Altíssimi obumbrábit tibi. **V.**  
Ideóque, et quod nascétur ex te  
sanctum, vocábitur Fílius Dei. **S**píritus.

## Responsorium



**D**ixit autem María ad ángelum \* Ecce, ancilla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum. **V.** Spíritus Sanctus supervéniet in te, et virtus Altíssimi obumbrábit tibi. **E**cce ancilla.

## Responsorium



**P**osuit Móyses bissénas virgas de síngulis tríbus filiórum Israël, in tabernáculo testimónii \* gaudéte, fratres, gaudéte, quóniam inter ipsas virga Aaron árida flóruit, frónduit, et nuces édidit. **V.** Sciéntes hoc signum in beátæ vírginis Maríæ partu fuisse complétum. **G**audéte.

Te Deum laudámus.

## Ad laudes

## Antiphona



**A**ngelus ergo dixit Maríæ: Ecce concípies et páries filium cuius nomen erit Iesus. **Ps.** Dóminus regnávít.

## Antiphona



**H**ic erit magnus, et filius Altíssimi vocábitur.

## Antiphona



**D**abit illi Dóminus Deus sedem David, patris sui, et regnábit in aetérnum.

Antiphona



**B**enedícta tu in muliéribus, et benedíctus fructus ventris tui.

Antiphona



**E**cce, ancílla Dómini, fiat mihi secúndum verbum tuum.

**Capitulum:** Egrediétur virga de radíce Iesse **ut supra.** **Hymnus:** Quem terra, pontus.

**Versiculus:** Emítte agnum **vel:** Audi, filia, et vide.

Ad Benedictus antiphona



**B**eáta es, mater et virgo María, quæ credidísti Dómino, perficiéntur in te, quæ dicta sunt tibi a Dómino.

Oratio ut supra

## Ad primam

**Hymnus:** Iam lucis orto. María, mater grátiae. Glória tibi, Dómine, qui natus es.

**Antiphona:** Angelus ergo. **Ps.** Deus, in nómine tuo **cum ceteris.** **Capitulum:** Ecce, virgo concípíet. **Responsorium:** Iesu Christe. **V.** Qui natus es. **Versiculus:** Audi, filia, et vide.

**Oratio:** Grátiam tuam. Dómine, sancte Pater. Exultábunt.

## Ad tertiam

**Antiphona:** Hic erit magnus. **Ps.** Legem pone mihi Dómine. **Capitulum:** Hæc dicit Dóminus Deus: « Egrediétur virga».

**Responsorium:**



**E**grediétur virga \* de radíce Iesse **V.** Et flos de radíce eius ascéndet.

**Versiculus:** Egrediétur Dóminus de loco sancto suo. **Orationes ut supra.**

## Ad sextam

**Antiphona:** Dabit illi. **Ps.** Déficit in salutári. **Capitulum:** Non secúndum visiónem. **Quære infra.**

**Responsorium**



**Egrediétur Dóminus \* de loco sancto suo. V.** Véniet, et salvum fáciét pópulum suum a peccátis eórum.

**Versiculus:** Ex Sion spécies decóris. **Orationes ut supra.**

## Ad nonam

**Antiphona:** Ecce, ancílla Dómini. **Ps.** Mirabília testimónia. **Capitulum:** Et percútiét terram virga. **Quære infra.**

**Responsorium**



**Ex Sion spécies \* decóris eius. V.** Deus noster maniféste véniet.

**Versiculus**

**V.** Emítte agnum, Dómine, dominatórem terræ.

**R.** De petra desérta ad montem fíliæ Sion.

**Orationes ut supra.**

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Angelus ergo. **Ps.** Dixit Dóminus. Laudáte, púeri Dóminum. Lætátus sum in his, quæ. Nisi Dóminus. Lauda, Hierúsalem Dóminum. **Capitulum:** Hæc dicit Dóminus Deus: « Egrediétur virga ». **Responsorium:** Pósuít Móyses. **Hymnus:** Ave, maris stella. **Versiculus:** Ave, María, grátia.

Ad Magnificat antiphona



**H**æc est dies, quam fecit Dóminus, hódie Dóminus afflictiónem pópuli sui respéxit, et redemptiónem misit, hódie mortem, quam fémina íntulit, fémina fugávit, hódie Deus homo factus, id, quod fuit, permánsit, et quod non erat, assúmpsit, ergo exórdium nostræ redemptiónis devóte recolámus, et exultémus, dicéntes: Glória tibi, Dómine.

Orationes ut supra.

## Ad completorium

Antiphona: Diléctus meus misit. *Quære ut supra.* Canticum: Nunc dimíttis.

## IN FESTO SANCTI AMBROSII EPISCOPI

[Ad vespas]

Capitulum: Ecce, sacérdos magnus, qui in vita.

Oratio

**D**EUS, qui Ecclésiám tuam beáti Ambrósii confessoris tui atque pontíficis, doctrínis et méritis illustráre dignátus es, concéde propítius, ut cuius sollémnia cólimus, étiam patrocínia sentiámus. Per.

Historia de uno confessore. Si autem venerit tempore Paschali, tunc ad primas vespas antiphona: Pax vobis. Ps. Laudáte, púeri. Capitulum: Omne gáudium. Responsorium: De ore prudéntis. *Quære infra de sancto Marco.* Hymnus: Vita sanctórum. Versiculus: Amávit eum Dóminus. Ad Magnificat antiphona: Beátus vir, qui invéntus est sine mácula etc.

Lectio prima<sup>v</sup>

**I**GITUR pósito in administratióne præfectúræ Galliárum, patre eius Ambrósio, natus est Ambrósius. Qui infans in área prætórii in

---

<sup>v</sup> Vita Ambrosii Mediolanensi episcopi [a Paulino eius notario]: PL 014, 027-046C

cuna p̄situs, cum dormiret ore ap̄erto, s̄bito exámen apum adv̄eniens, fáciem eius atque ora compl̄evit, ita, ut ingrediēti in os, egrediendiq̄ue frequentárent vices. Quas pater, qui propter eum cum matre vel filia deambulábat, ne abiicerentur ab ancilla, quæ curam nutriēdi infántem suscéperat, próhibens, sollicita enim erat, ne infánti nocerent. Tu.

#### Lectio secunda

**E**XPECTÁBAT tamen pátrio afféctu, quo fine illud miráculum clauderétur. At ille postquam aliquámdiu evolátes, in tantam aëris altitúdinem sublevátæ sunt, ut humánis óculis mínime viderentur. Quo facto, térritus pater ait: « Si víxerit infántulus iste, áliquid magni erit mériti. » Sed postquam edóctus liberálibus disciplínis, ex urbe egressus est, profectúsque<sup>w</sup> in adiutório<sup>x</sup> præfectúræ prætórii, ita spléndide cáusas perorávit<sup>y</sup>, ut eligerétur a viro Probo, tunc præfecto prætórii, ad consílium tribuéndum. Tu.

#### Lectio tertia

**P**OST quod consularitátis suscépit insígnia, ut régeret Ligúriam Æmiliámque províncias, venit Mediolánum. Per hoc tempus, mórtuo Auxéntio, ariánæ perfídiæ ep̄scopo, qui, Dionýsio beátæ memóriæ confessóre ad exílium destináto, incubábat eccl̄esiam cum pópulis ad seditiónem súrgeret, impetēdo ep̄scopo, esset illi cura sedándæ seditiónis, ne civitátis in perículum sui converterétur, perréxit ad eccl̄esiam, ibíque cum alloquerétur plebem, s̄bito vox fertur infántis in pópulo sonuísse: Ambrósium ep̄scopum. Tu.

#### Lectio quarta

**A**D cuius vocis sónitum totíus pópuli ora convérta sunt, acclamántes Ambrósium ep̄scopum, ita, qui ante turbulentíssime dissidébat, quia et ariáni et cathólici sibi ep̄scopum cupiébant, superátis altérutris, ordinári repēte in hunc unum mirábili concórdia consenserunt. Missa itaque relatióne ad clementíssimum imperatórem, tunc Valentiniánum, qui cum summo gáudio accépit, quod iúdice a se dirécti ad sacerdotium peterentur. Lætábatur étiam Probus præfectus, quia verbum eius implerétur in Ambrósio. Díxerat enim proficiscéti, cum mandáta ab eódem

<sup>w</sup> PL-ben professúsque

<sup>x</sup> PL-ben: auditório

<sup>y</sup> javítva erról: perornávit

darétur, ut moris est: « Vade, age, ut moris est: non ut iudex, sed ut episcopus. » Tu autem.

#### Lectio quinta

**P**ENDENTE itaque, iterum fugam paravit, atque in possessione cuiusdam Leontii, clarissimi viri, aliquamdiu latuit, sed ubi relationis responsum est, ab eodem Leontio proditur. Praeceptum enim vicario, ut insisteret rebus perficiendis, qui iniuncta sibi cum vellet implere, proposito edicto, convenit omnes, ut si vellent sibi consulere, rebusque suis prouderent virum. Proditus itaque, et adductus Mediolanum, cum intelligeret circa se Dei voluntatem, nec sibi diutius posse resistere, postulavit non se nisi a catholico episcopo baptizari. Sollcita enim habebat perfidiam arianorum. Baptisatus itaque, fertur omnia ecclesiastica officia implere, atque octavo die episcopus est ordinatus, summa gratia et laetitia cunctorum. Ipse autem de sua morte ante praedixit, quod usque Pascha nobiscum futurus esset, quod quidem meruit Dominum obsecrando, quo maturius liberaretur. Sed eodem tempore, quo a nobis migravit ad Dominum, ab hora circiter undecima diei usque ad illam horam, qua emisit spiritum, expansis manibus in modum crucis oravit ad Dominum. Tu autem.

#### Lectio sexta

**H**OS vero labia illius movere videbamus, vocem autem non audiebamus. Honoratus autem, sacerdos ecclesiae Vercellensis, cum in superiora domus se ad quiescendum composuisset, tertio vocem vocantis se audivit, dicentisque sibi: « Surge, festina, quod modo es recessurus. » Qui descendens, obtulit sanctus Corpus Domini. Quo accepto, ubi deglutivit, emisit spiritum. Bonum viaticum ferens, ut in virtute escae animae refectio angelorum consortium, quorum vixit in terris, et Heliae societate laetaretur, qui, ut Helias, numquam regibus, vel ullis potestatibus, ita et iste, pro Dei timore loqui veritus est. Atque tamen ad ecclesiam maiorem ante lucanam horam, qua defunctus est, corpus ipsius portatum est, ibique eadem fuit nocte, qua vacavimus in Pascha, quem plurimi infantes baptizati, cum ad fontem venirent, viderunt ita, ut aliquem sedentem in cathedra tribunali dicerent. Alii vero ascendentem suis parentibus digito ostenderent. Sed illi videntes, videre parentes non poterat, quia tam mundos oculos non habebat. Plurimi autem stellam supra corpus eius se vidisse narrabant. Sed lucescente die

Domínico, cum corpus eius peráctis sacraméntis divínis, de ecclésia levarétur, portátur ad basílicam Ambrosiánam, in qua pósito est. Ita autem ibi dæmónum multitúdo clamábat se ab illo torquéri, ut eiulátus eórum ferre non possint. Quæ grátia sacerdotís non solum in illo loco, verum étiam in plúrimis províncii, usque in hodiérnum diem manet. Tu.

*Homelia:* Vos estis sal terræ.

## Laudes

*De commune confessorum. Nota: si venerit festum sancti Ambrosii tempore paschali, tunc invitatorium: Allelúia \* Regem confessorum etc. Antiphona: Tristítia vestra, allelúia. Ps. Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid multiplicáti. Versiculus: Amávit eum Dóminus cum Allelúia. Homelia: Ego sum vitis vera. Quære hæc infra, de sancto Adalberto. Responsoria: Beátus vir, qui métuit. Ego sum vitis vera. De ore prudéntis. Laudes antiphona: Sancti tui Dómine. Cum ceteris. Quære infra ibidem.*

## IN FESTO SANCTI LEONIS PAPÆ ET CONFESSORIS

*Oratio*

**E**XÁUDI, Dómine, preces nostras, quas in sancti Leónis confessorís tui atque pontíficis sollemnitate deférrimus, et qui tibi digne mérui famulári, eius intercedéntibus méritis ab ómnibus nos absólve peccátis. Per.

## IN FESTO SANCTI TIBURTII ET VALERIANI MARTYRUM

*Capitulum: Iustórum ánimæ. Tempore autem paschali capitulum: Stabunt iusti.*

*Oratio*

**P**RÆSTA, quæsumus, omnípotens Deus, ut qui sanctórum mártýrum tuórum Tibúrtii, Valeriáni et Máximi sollémnia cólimus, eórum étiam virtútes imitémur. Per.



## Ad matutinas

**Invitatorium:** Regem mártýrum. **Tempore paschali:** Allelúia, regem mártýrum. **Ps.** Veníte. **Cetera quære infra.**

### Lectio prima<sup>z</sup>

**V**ALERIÁNUS itaque, atque Tibúrtius, frater eius, cum per prædicatióem beátæ Cecíliæ credidissent in Dóminum, et a sancto papa Urbáno baptizáti fuissent, et hoc ad notítiam Almáchii præfécti pervénisset, iussi sunt ambo fratres, si sacrificáre nollent, páriter capitálem suscípere senténtiam. Tu.

### Lectio secunda

**T**UNC gloriósi mártýres tenti a Máximo corniculáριο, ducebántur ad locum. Valeriánus dixit ad Máximum: « Quia dicis nihil tibi superesse, nisi ut probes, vera esse, quæ diximus, in hora, qua fáciat nos Dóminus istam córporis túnica[m] depónere, apériet óculos tuos, et fáciat te vidére, cum quanta glória illa vita suscípitur. » Tu.

### Lectio tertia

**C**UM ergo impetrásset Máximus a carníficibus unús diéi indútias, duxit eos in domum suam. Ad quorum prædicatióem et ipse Máximus cum omni domo sua, et ipsi carnífices crediderunt. Tu.

### Lectio quarta

**T**UNC sancta Cæcília venit ad eos nocte cum sacerdótibus, et univérsti baptizáti sunt. Igitur cum auróra finem daret, Cæcília dixit: « Eia, mílites Christi, abiícite ópera tenebrárum, et induímini arma lucis! » Tu.

### Lectio quinta

**M**ÁXIMUS iurándo asserébat, dicens: « Vidi ángelos Dei, fulgéntes sicut sol, in hora qua verberáti sunt cum gládio, et egrediéntes ánimas eórum de corpóribus, quasi vírgines de thálam[o], quasi in grémio suo suscipiéntes ángeli remígio alárum suárum ferébant ad cælos. » Tu autem.

### Lectio sexta

**I**STA cum lácrimis narránte Máximo, plúrimi crediderunt, et ab idólis convérsi, suo se Creatóri reddiderunt. Igitur cum

---

<sup>z</sup> Acta Sanctæ Cæcíliae

pervenisset ad Almáchium, quod Máximus corniculáriuſ cum ómnibus ſuis factus fuisset Chriſtiánus, iuſſit eum tãmdiu plumbátis tundi, quãmdiu ſpíritum rédderet. Quem ſancta Cæcília collégit, et iuxta Tibúrtium et Valeriánum in novo ſarcóphago ſepelívit. Tu.

**Homelia:** Cum audiéritis. **Tempore autem paſchali homelia:** Ego ſum vitis vera.

## IN FESTO SANCTI ADALBERTI MARTYRIS

### ad vesp̄as

#### Antiphona



**O**, immarceſcíbilis roſa paradíſi, glorióſe martyr, ſancte Adalbérte, qui victoriosíſſime ſánguinem tuum effúndens martýrii láurea coronári meruíſti, nos, húmiles, ſollempnitátis tuæ feſta celebrántes, tuo intervéntu fons totíus bonitátis, Deus, ſuæ beatitúdinis fáciat eſſe conſórtes, allelúia, allelúia. **Ps.** Laudáte, púeri.

#### Capitulum

**C**ARÍSSIMI! Omne gáudium exiſtimáte, fratres mei, cum in temptatiónes várias incidéritis, ſciéntes, quod probátio fidei veſtræ paciéntiam operátur, paciéntia autem opus perféctum habet, ut ſitis perfécti et íntegri in nullo deficiéntes. Deo.

#### Responsorium



**Exóra**, dilécte Dei, Adalbérte, pro nobis míſeris \* ut qui ſumus pro culpis digni ſupplício, per te iungi mereámur iuſtórum conſórtio, allelúia, allelúia. **V.** Diſſímiles tibi móribus, laudámus te vóciſus, ádiuva nos tuis précibus. **U**t qui.

## Hymnus



**V**ita sanctorum, decus angelorum,  
Vita cunctorum pariter piorum:  
Christe, qui mortis moriens ministrum  
exsuperasti.

**T**u, tuo laetos famulos trophaeo,  
nunc in his serva placitis diebus,  
in quibus sanctum celebratur omnem  
Pascha per orbem.

**P**ascha, quo victor rediens ab imo,  
atque cum multis aliis resurgens,  
ipse susceptam super alta carnem  
astra levasti.

**N**unc in excelsis Dominus refulgens,  
et supra caelos Deus elevatus,  
inde venturus homo iudicatus,  
denovo iudex.

**C**orda tu sursum modo nostra tolle,  
quo Patri dextrae residens in alto:  
ne resurgentes facias in ima  
praecipitari.

**H**oc Pater tecum, hoc idem sacratus  
praestet amborum, pie Christe, Flatus,  
cum quibus regnas Deus unus, omni  
iugiter aevo.

**A**men.

## Versiculus

**V.** Ora pro nobis, beate Adalberte, alleluia!

**R.** Ut digni efficiamur promissionibus Iesu Christi, alleluia!

## Ad Magnificat antiphona



Magna vox láude sonóra, te decet per ómnia, quo poli choréa gáudet aucta tali cómpare terra pláudit et resúltat digna tanto præsule. O, sacer Adalbérte martyr, vota nostra súscipe, allelúia.

## Oratio

**O**MNÍPOTENS, sempitérne Deus, qui hodiérna die beátum Adalbértum, mártýrem tuum atque pontíficem, mérito passiónis sanctis tuis coëquásti, tríbue, quæsumus, ut méritis ipsíus, per vitæ eius exémpla gradiámur, et ad ætérnam pátriam pervenire mereámur. Per.

## Completorium

## De Resurrectione Domini

## Ad matutinas

## Invitorium



Allelúia. Regem mártýrum Dóminum \* veníte, adorémus, allelúia.  
Ps. Veníte.

## In primo nocturno

## Antiphona



Tristítia vestra allelúia, convertétur in gáudium, allelúia. Ps. Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid multiplicáti.

## Versiculus

**V.** Glória et honóre coronásti eum, Dómine, allelúia!

**R.** Et constituísti etc.

Secúndum Ioánnem

**I**N illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: « Ego sum vitis vera, et Pater meus agrícola est. Omnem pálmitem, in me non feréntem fructum, tollet eum, et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus affert. » Et réliqua.

**Lectio prima** Homélia beáti Augustíni epíscopi.<sup>aa</sup>

**I**STE locus evangélicus, fratres, ubi se dicit Dóminus vitem, et discípulos suos pálmites, secúndum hoc dicit, quod est caput Ecclésiæ, nosque membra eius, mediátor Dei et hóminum, homo Christus Dóminus. Uníus quippe natúræ sunt vitis et pálmites: propter quod cum esset Deus, cuius natúræ non sumus, factus est homo, ut in illo esset vitis humána natúra, cuius et nos hómines pálmites esse possémus. Quid ergo est: *Ego sum vitis vera*? Numquid, ut ádderet vera, hoc ad eándem vitem rétulit. Unde ista similitúdo transláta est? Sic enim dicitur vitis, per similitúdinem, non per proprietátem; quemádmódum dicitur: ovis, agnus, leo, petra, lapis anguláris, et cétera huiúsmodi, quæ magis ipsa sunt vera, ex quibus dicúntur istæ similitúdi- nes, non proprietátes. Sed cum dicit: *Ego sum vitis vera*, ab illa se útique discérnit, cui dicitur: *Quómodo convérsa es in amaritúdinem, vitis aliénæ?* Nam, quo pacto est vitis vera, quæ exspectáta est, ut fáceret uvam, fecit autem spinas. Tu autem.

## Responsorium



**Beátus vir, qui méruit Dóminum, allelúia \* in mandátis eius cupit nimis, allelúia, allelúia. V.** Potens in terra erit semen eius, generatio rectórum benedicétur. **I**n mandátis.

<sup>aa</sup> Augustinus Hipponensis, In Ioannis evangelium tractatus CXXIV, 11, 2. PL 35 1839. Lásd még: Fulgentius Ruspensis Incertus, Sermones, Sermo XLVII. Item de vite vera et palmiti. PL 65 0913A. Továbbá: Beda: In evang. S. Johannis Expositio, p2, caput XV. PL 92 0836A.

## Lectio secunda

**E**GO sum, inquit, vitis vera, et Pater meus agricola est. Omnem pálmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, et omnem, qui fert fructum, purgábit eum, ut fructum plus áfferat. Numquid unum sunt agricola et vitis? Secúndum hoc ergo vitis Christus, secúndum quod ait: *Pater maior me est*, secúndum autem id, quod ait: *Ego et Pater unum sumus*, et ipse agricola est. Nec talis, quales sunt, quæ extrínsecus operándo éxhibent ministérium; sed talis, ut det étiam intrínsecus increméntum. *Nam neque, qui plantat est aliquid, neque qui rigat, qui increméntum dat, Deus.* Sed útique est Deus Christus, qui se ásserit verbum, quia *Deus erat Verbum.* Unde ipse et Pater unum sunt. Et si *Verbum caro factum est* quod non erat, manet, quod erat. Dénique, cum de Patre tamquam de agricola dixisset, quod infructuósos pálmites tollat, fructuósos autem purget, ut plus áfferant fructum, contínuo étiam seípsum mundatórem pálmitum osténdens: *Iam vos, inquit, mundi estis, propter sermónem, quem locúsus sum vobis.* Ecce et ipse mundátor est pálmitum, quod est agricolæ, non vitis officium, qui étiam pálmites operários suos fecit. Nam, etsi non dant increméntum, impéndunt tamen áliquod adiuvaméntum, sed non de suo, quia *sine me, inquit, nihil potéstis fácere.* Tu.

## Responsorium



**C**hristi martyr, Adalbértus, cum sub triúmpho passiónis emisisset spíritum, mox víncula, quibus erat vinctus, solúta sunt \* et manus expándit in modum crucis, allelúia, allelúia. **V.** Mortem autem, quam sitiébat, ampléxus cadens in terram. **Et.**

## Lectio tertia

**A**UDI étiam ipsos confiténtes: *Quid autem est Apóllo? quid vero Páulus? Ministri, per quos credidístis, et unicuíque sicut Dóminus dedit. Ego plantávi, Apóllo rigávit.* Et hoc ergo *sicut unicuíque Dóminus dedit.* Non itaque de suo. Iam vero, quod séquitur: *sed Deus increméntum dedit*, non per illos, sed per seípsum facit. Excédit hoc humánam humilitátem, excédit angélicam sublimitátem. Nec ómnino pértinet, nisi ad agricolam Trinitátem. *Iam vos mundi estis*, mundi scilicet, atque mundáandi. Neque enim, nisi mundi essent, fructum ferre potuissent, et tamen omnem pálmitem, qui facit fructum, purgat agricola, ut fructum plus áfferat. Fert fructum, quia

mundus est, atque ut plus áfferat, purgátur adhuc. Quis enim est in hac vita sic mundus, ut non sit magis magisque mundándus? Ubi *si dixérimus, quia peccátum non habémus*, nos ipsos sedúcimus, et véritas in nobis non est. Si autem conféssi fuérimus peccáta nostra, fidélis est et iustus, qui dimíttat nobis peccáta, et mundet nos ab omni iniquitáte. Mundat itaque mundos, hoc est: fructuósos, ut tanto sint fructuosióres, quanto fuérint mundióres. Tu autem.

Responsorium



**M**iles Christi glorióse, sanctissiméque Adalbérte \* tuo pio intervéntu culpas nostras abluc, allelúia, allelúia. **V.** Ut cæléstis regni sedem valeámus scándere. **T**uo pio.

## Ad laudes

Antiphona



**S**ancti tui, Dómine, florébunt, sicut lílium, allelúia, et sicut odor bálsami, erunt ante te allelúia. **Ps.** Dóminus regnávít, exúltet.

Antiphona



**S**ancti et iusti in Dómino gaudéte, allelúia, vos elégit Deus in hæreditátem sibi, allelúia.

Antiphona



**I**n velaménto clamábant sancti tui, Dómine, allelúia, allelúia, allelúia.

## Antiphona



**S**pírítus et ánimæ iustórum hymnum dícite Deo nostro, allelúia, allelúia.

## Antiphona



**I**n cæléstibus regnis sanctórum habitátio est, allelúia, et in ætérnum réquies eórum, allelúia.

**Capitulum ut supra.** **Hymnus:** Tu tuo lætos fámulos. **Versiculus:** Iustus, ut palma florébit.

## Ad Benedictus antiphona



**V**ox lætítiae in tabernáculis iustórum, allelúia.

**Oratio ut supra.**

## Ad primam

**Hymnus:** Iam lucis orto sídere. **Conclusio hymnorum de sanctis solum:** Glória tibi, Dómine, qui surrexísti a mórtuis. **Antiphona:** Sancti tui, Dómine. **Ps.** Deus, in nómine tuo salvum me fac **cum ceteris.** **Capitulum:** Christus resúrgens. **Responsorium:** Iesu Christe. **V.** Qui surrexísti. **Oratio:** Spírítum nobis. Dómine, sancte Pater. **Ad horas antiphonæ de laudibus.**

## Ad sextam

## Capitulum

**C**ARÍSSIMI! Si quis vestrum índiget sapiéntia, póstulet a Deo, qui dat ómnibus affluénter, et non impróperat, et dábitur ei, póstulet autem in fide nihil hæsítans, qui autem hæsítat, símilis est flúctui maris, qui a vento movétur et circumfértur.



## Ad nonam

### Capitulum

**B**EÁTUS vir, qui suffert tentatióem, quóniam cum probátus fúerit, accípiet corónam vitæ, quam repromísit Deus diligéntibus se. In Christo Iesu, Dómino nostro. Deo grátias.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Sancti tui, Dómine. **Ps.** Beátus vir, qui. Crédidi, propter quod locútus. Ad Dóminum cum tribulárer. Ad te levávi óculos meos. De profúndis clamávi ad. **Capitulum.** Omne gáudium. **Responsorium:** Miles Christi. **Hymnus:** Vita sanctórum. **Versiculus:** Glória et honóre coronásti.

### Ad Magnificat antiphona



**Glória** Christo Dómino, qui beátum Adalbértum epíscopum suæ passiónis testem fecit, de cuius méritis et miráculis · benedíctus Dóminus, allelúia.

**Oratio:** Omnípotens sempitérne Deus **ut supra**

## IN FESTO SANCTI GEORGII MARTYRIS

### Ad vesperas

**Antiphona:** Pax vobis. **Ps.** Laudáte, púeri, Dóminum. **Capitulum:** Omne gáudium **ut supra.**

### Responsorium



**Fíliæ** Hierúsalem, veníte et vidéte mártirem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus \* in die sollemnitátis et lætitiæ, allelúia, allelúia. **V.** Quóniam confortávit seras portárum tuárum, benedíxit fíliis tuis in te. **In die.**

**Hymnus:** Vita sanctorum decus. **Versiculus:** Glória et honore coronasti.

**Ad Magnificat antiphona**



**A**thléta Christi, sancte Geórgi, succurre nobis, tuis famulis votis omnibus, tua iuvamina implorantibus, allelúia.

**Oratio**

**D**EUS, qui nos beati Geórgii, mártiris tui méritis et intercessióne lætíficas, concéde propítius, ut qui eius benefícia póscimus, dono tuæ grátiae conseqámur. Per.

## Ad matutinas

**Invitatorium:** Allelúia, regem mártirum. **Ad nocturnos antiphona:** Tristítia vestra. **Ps.** Beátus vir. Quáre fremuerunt. Dómine, quid multiplicáti. **Versiculus:** Glória et honore. **Homelia:** Ego sum vitis vera **ut supra.** **Responsorium:** Beátus vir.

**Responsorium**



**T**ristítia vestra, allelúia \* convertétur in gáudium, allelúia, allelúia. **V.** Mundus quidem gaudébit, vos autem contristábimini, sed tristítiam vestra. **C**onvertétur.

**Responsorium:** Fíliæ Hierúsalem ut supra.

## Ad laudes

**Antiphona:** Sancti tui, Dómine **ut supra.** **Capitulum:** Omne gáudium. **Hymnus:** Tu tuo lætos. **Versiculus:** Iustus ut palma. **Ad Benedictus antiphona:** Vox lætítiae **ut supra.** **Oratio ut supra.** **Ad horas diei:** omnia, ut heri, præter orationem.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Sancti tui, Dómine *ut supra*. **Ps.** *ut heri*. **Capitulum:** Omne gáudium.

**Responsorium**



**E**go sum vitis vera, et vos pálmites \* qui manet in me, et ego in eo, hic fert fructum multum, allelúia, allelúia. **V.** Manéte in dilectióne mea, sicut diléxi vos. **Qui.**

**Hymnus:** Vita sanctórum. **Versiculus:** Glória et honóre.

**Ad Magnificat antiphona**



**I**ste sanctus pro lege Dei sui morti se trádedit, non dubitávit mori, allelúia, allelúia.

**Oratio ut supra.**

## IN FESTO SANCTI MARCI

### Ad vesperas

**Antiphona:** Pax vobis. **Ps.** Laudáte, púeri.

**Capitulum**

**F**RATRES, unicuíque nostrum data est grátia secúndum mensúram donatiónis Christi, propter quod dicit: Ascéndens in altum captívam duxit captivitátem, dedit dona homínibus. Deo.

**Responsorium**



**D**e ore prudéntis procédit mel, allelúia, dulcédo mellis est língua eius, allelúia, allelúia \* favus distíllans lábia eius, allelúia, allelúia. **V.** Quam dúlcia fáucibus meis elóquia tua, Dómine super mel et favum ori meo. **Favus.**

**Hymnus:** Vita sanctorum. **Versiculus:** In omnem terram.

**Ad Magnificat antiphona**



**F**iliæ Hierúsalem, veníte, et vidéte mártirem cum coróna, qua coronávit eum Dóminus in die sollemnitátis et lætitiæ, allelúia, allelúia.

**Oratio**

**D**EUS, qui beátum Marcum evangelístam tuum, evangélicæ prædicatiónis grátia sublimásti, tríbe, quæsumus, eius nos semper et eruditióné proficere, et oratióne deféndi. Per.

## Ad matutinas

**Invitorium**



**Allelúia.** Regem evangelistárum Dóminum \* veníte, adorémus, allelúia.

**Ad nocturnos antiphona:** Tristítia vestra. **Ps.** Cæli enárrant. Benedícam Dóminum. Eructávit. **Versiculus:** In omnem terram. **Homelia:** Ego sum vitis vera *ut supra*. **Responsorium:** Beátus vir *ut supra*. **Prima lectio dicatur de homelia. De vita ipsius.**

**Lectio prima**

**B**EÁTUS Marcus, discípulus beáti apóstoli Petri, rogátus Romæ a frátribus, scripsit Evangélium. Quod quanto tárdius céteris inchoávit, tantum in longióra témpora scribéndó porréxit. Ab iníto namque evangélicæ prædicatiónis, quod per Ioánnem factum cœpit, usque ad illud tempus narrándo pervénit, quo apóstoli idem Evangélii verbum totum disseminavére per orbem. Quod cum Petrus audísset, probávit, ecclesiisque legéndum sua auctoritaté trádidit. Quo assúmpto, idem Marcus perréxit ad Ægýptum, et mox, ut ingræssus est civitátem, calciaméntum eius dirúptum est. Tunc beátus Marcus per hoc factum quiddam sibi intélligens eveníre ait: « Vere iter meum expéditum est. » Conspiciénsque vétera qui suére sólitus erat, ipsi calciaméntum trádidit corrigéndum. Qui cum

iniúctum sibi opus vellet perficere, sinistram manum sibi fórtiter vúlnerans, exclamávit: « Unus Deus! » Beátus autem Marcus, áudiens hoc, ait intra se gáudens: « Prósperum fecit Dóminus iter meum! » Et éxpuens in terram, fecit lutum, et unxit manum viri dicens: « In nómine Iesu Christi, Fílii Dei esto sanus! » Et conféstim sanáta est manus eius. Sutor autem véterum consíderans tantam viri poténtiam, et effícíam verbi eius, vitæque continéntiam, dixit ei: « Obsécro te, homo Dei, ut declínes in domum servi tui, et cómedas panem, quia fecísti mecum hódie misericórdiam. » Beátus Marcus lætus efféctus, dixit ad eum: « Dóminus in præsentí subsidium, et in futúro det tibi panem de cælo. » Homo autem coëgit eum. Ingressúsque sanctus Marcus, ait: « Benedíctio Dómini hic, orémus, frater! » Et oravérunt simul. Cumque gratularéntur simul, ait homo ad eum: « Obsécro, ne indignéris, quod te intérogo: Unde es? vel unde tam fortis sermo in te? » Cui respóndens, sanctus Marcus ait: « Génere quidem Israël, servus vero Dómini Iesu Christi, Fílii Dei, sine quo váleo fácere nihil. » Dixit autem homo ille: « Si fieri posset, vellem eum vidére. » Respóndit ei sanctus Marcus: « Ego tibi eum demonstrábo. » Tunc cœpit inítium fácere Evangéllii Iesu Christi, et osténdere ei, quæ a prophétis fúerant de eo prædícta. Crédidit autem homo ille, et baptizátus est ipse, totáque domus eius, et magna multitúdo loci illíus. Vocabátur autem homo ille Aníanus. Cumque plúrimi facti essent credéntes in Dómino, audiérunt viri civitátis, quod Galilæus quidam ibi esset, qui deórum sacrificia destrúeret, et perhibéret cærimónias eórum, quærébant interfícere eum, ponéntes ei plúrimas insídias. Beátus autem Marcus cognóscens consília paganórum, Aníanum apud Alexándriam ordinávit episcopum, et tres persbýteros, id est: Mélicum, Savínum, et Cerdónem, aliosque septem diácones [!] et álios úndecim ad ecclesiásticum offícium pertinéntes, et Pentápolim perréxit. Commoratúsque ibi duóbus annis, confortávit fratres, qui illic ante credíderant, et órduans episcopos per regiónes illas et cléricos, íterum Alexándriam venit, et réperit fratres multiplicátos in grátia et fide Dómini, ecclesiámque constrúctam ab eis in loco, qui vocátur Bucóliæ<sup>bb</sup>, iuxta mare, sub rúpibus. Et lætus efféctus, pósitis génibus, Deo grátias egit. Tu.

---

<sup>bb</sup> Javítva erról: Buculi

## Responsorium



In servis suis, allelúia \* consolábitur Deus, allelúia. **V.** Iudicábit Dóminus populum suum, et in servis suis. **C.** Consolábitur.

Lectio secunda<sup>cc</sup>

**C**UM autem iam implerétur tempus eius, et Christiáni multiplicaréntur in fide, simulácula subsannántem gentílium, cognoverunt idem prophétam advenísse sanctum, et repléti sunt livóre, propter mirácula, quæ fácere eum audierant, id est: infirmos sanábat, cæcis visum condonábat, et quærébant apprehéndere eum, nec póterant inveníre. Fremebántque déntibus suis in spectáculis idolórum suórum, et dicébant: « Magna virtus huius magi. » Factum est autem, ut beatíssima festívitás nostra Paschális, scílicet dies occurreret vicésimo die, mensis Pármuthi, quid est octávo kaléndas Maias, témpore, quo eórum Serapiáca agebátur celébritas. Hac ígitur opportunitáte adunáti pagáni, qui Alexándriæ remanserunt, insidiatóres prótinus dirigúntur, qui repererunt cum oblatiónem divínæ maiestáti offeréntem. Tolléntes vero eum inde, miserunt funem in collum eius, et trahébant dicéntes: « Trahámus búbalum ad loca Bucóliæ<sup>dd</sup>! » Sanctus autem Marcus cum traherétur, dicébat: « Grátias tibi ago, Dómine Iesu Christe, quia dignus hábitus sum pro nómine tuo pati. » Erántque carnes eius defluéntes in terram, et saxa inficiebantur ságuine eius. Véspere autem facto, miserunt eum in cárcerem, ubi circa médiam noctem terræmótus factus est magnus, et ángelus Dómini descéndit de cælo, dicens ad eum: « Fámule Dei, Marce, princeps et propagátor sanctissimórum per Ægýptum præceptórum, ecce, nomen tuum in libro vitæ ascríptum est, et memoriále tuum non derelinquétur in sæcula. Sócius enim factus es supérnæ civitátis, nam et in cælis spíritum tuum cólligunt, et in te réquies non períbit. » Hoc áudiens beatíssimus Marcus dixit: « Grátias tibi ago, Dómine Iesu Christe, quia me non dereliquísti, sed connumerásti cum sanctis tuis. Obsécro te, Dómine Iesu, súscipe ánimam meam. » Hæc cum dixisset, venit ad eum Dóminus Iesus

<sup>cc</sup> Ordericus Vitalis, Historia ecclesiastica, 2, XIX. Historia discipulorum: Marcus. PL 188 0181A.

<sup>dd</sup> javítva erről: Buculi

Christus in hábitu, quo fúerat cum discipulis suis, et ait ei: « Pax tibi, Marce, noster evangelísta. » Et ille respóndit: « Dómine meus, Iesu Christe! » Et ábiit. Mane autem facto, convénit multitúdo civitátis, et eiicientes eum de cárcere, misérunt iterum funes in collo eius, dicétes: « Trahámus búbalum ad loca Bucóliæ.<sup>ee</sup> » Sanctus vero Marcus, cum traherétur, grátias réferens Dómino, dicébat: « In manus tuas, Dómine, trado spíritum meum. » Et hæc dicens, réddidit spíritum. Tunc multitúdo géntium voluérunt reliquias sanctas combúrere. Providéntia autem Dómini, tempésta válida exórta est. Sol quoque subtráxit suos rádios, et tonítrua facta sunt, et imbres a mane usque ad vésperam. Metuétes autem custódes, dimisérunt sanctum corpus. Alii vero desiderábant dicétes: « Quod beatíssimum Serápis noster in sua festivitáte hunc virum volúerit invísere. » Fuit autem forma beáti viri huiúsmodi: longo naso, subdúcto supercílio. Pulcher óculis, recalváster, barba prolíxa, velox, habitúdinis óptimæ, ætátis médiæ canis aspérsus, grátia Dei plénus. Religiósi ergo viri sepeliérunt eum, sicut consuetúdo civitátis poscébat, ponétes in loco excísi lápidis, cum glória venerátes memóriam eius. Repósitus est autem in parte orientáli. Dormívit autem hic beatíssimus evangelísta, primus apud Alexándriam Ægýpti, die tricésimo, quod est apud Romános séptimo kalénda maii, imperánte Gaio et Iúnio, regnánte Dómino nostro Iesu Christo, cui est honor et glória in sæcula sæculórum amen. Tu.

**Responsorium:** De ore prudéntis *ut supra*.

## Ad laudes

**Antiphona:** Sancti tui Dómine *cum ceteris*. **Capitulum:** Unicuíque. **Hymnus:** Tu tuo lætos. **Versiculus:** Annunciavérunt ópera. **Ad Benedictus antiphona:** Vox lætítiae *ut supra*. **Oratio ut supra.**

## Ad sextam

**Capitulum**

**Q**UOD autem ascéndit, quid est, nisi quia descéndit primum in inferióres partes terræ, qui descéndit, ipse est, et qui ascéndit

---

<sup>ee</sup> javítva erról: Buculi

super omnes cælos, ut adimpléret ómnia.

## Ad nonam

### Capitulum

**E**T ipse dedit quosdam quidem apóstolos, quosdam vero prophétas, álios autem pastóres et doctóres ad consummationem sanctorum in opus mystérii, in ædificationem córporis Christi, donec occurrámus omnes in unitátem fidei, et agnitiónis Fílii Dei, in virum perféctum, in mensúram ætátis plenitúdinis Christi.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Sancti tui, Dómine. **Ps.** Dixit Dóminus. Laudáte, púeri. Crédidi, propter quod. In converténdo. Dómine, probásti me. **Capitulum:** Unicuíque. **Responsorium:** De ore prudéntis. **Hymnus:** Vita sanctorum. **Versiculus:** In omnem terram.

### Ad Magnificat antiphona



**Beátus vir,** qui invéntus est sine mácula, allelúia, et operátur est iustítiam, allelúia.

## Nota in festivitatibus sanctorum a Pascha usque ad Pentecosten occurrentes, si fuerit unus

**in primis vespere antiphona:** Pax vobis. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** Omne gáudium. **Responsorium:** Filíe Hierúsalem, **ut supra.** **Hymnus:** Vita sanctorum. **Versiculus:** Glória et honóre. **Ad Magnificat antiphona:** Filíe Hierúsalem, **vel** Beátus vir, **vel** Iste sanctus. **Oratióem quære de die festo.** **Ad matutinis invitatorium:** Allelúia, regem mártirum, **ut supra.** **Ps.** Veníte. **Antiphona:** Tristítia vestra. **Ps.** Beátus vir. Quare fremuérunt. Dómine, quid multiplicásti. **Versiculus:** Glória et honóre. **Homelia:** Ego sum vitis vera, **et lectiones, de quibus habentur.** **Responsorium:** Beátus vir. **Responsorium:** Tristítia vestra. **Responsorium:** Filíe Hierúsalem. **Ad laudes antiphona:** Sancti tui, Dómine, **ut supra, cum ceteris.** **Ad Benedictus antiphona:** Vox lætítiae.



## Si fuerint plures

**Ad vespervas antiphona:** Pax vobis. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** Stabunt iusti. **Quære infra, Philippi et Iacobi. Vel:** Omnes gáudium. **Responsorium:** Ego sum vitis vera, **ut supra in festo Georgii martyris. Hymnus:** Vita sanctorum. **Versiculus:** Lætámini in Dómino **cum** allelúia. **Ad Magnificat antiphona:** Lux perpétua lucébit sanctis tuis Dómine, et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. **Orationes de die ipsorum. Ad matutinas invitorium:** Allelúia, regem máryrum **etc.** **Antiphona:** Tristítia vestra. **Ps.** Beátus vir. Quare fremuérint. Cum invocárem. **Versiculus:** Lætámini. **Homelia:** Ego sum vitis vera, **ut supra, et lectiones propriæ, si habentur. Responsorium:** Pretiósá in conspéctu Dómini, allelúia \* mors sanctorum eius, allelúia. **V.** In conspéctu omnis pópuli eius, in átriis tuis, Hierúsalem. **Mors. Responsorium:** Lux perpétua lucébit sanctis tuis, Dómine, allelúia \* et ætérnitas témporum, allelúia, allelúia. **V.** Iusti autem in perpétuum vivent, et apud Dóminum est merces eorum. **Et ætérnitas. Responsorium:** In servis suis **etc.** **Quære Marci, ut supra. Ad laudes antiphona:** Sancti tui, Dómine, **ut supra, cum ceteris.**

## IN FESTO SANCTI VITALIS MARTYRIS

### Ad vespervas

**Antiphona:** Pax vobis. **Ps.** Laudáte, púeri. **Capitulum:** Omne gáudium.

#### Oratio

**P**RÆSTA quæsumus, omnípotens Deus, ut intercedente beáto Vitále, máryre tuo, et a cunctis adversitatibus muniámur in córpore, et a pravis cogitatióibus mundémur in mente. Per.

**Cetera quære hic, si de uno martyre. De vita eius.**

#### Lectio prima

**S**ANCTUS Vitális Paulíno militans consulári, qui erat iudex in Ravénna constitútus, cum eodem Paulíno Ravénnam ingrèssus est. Et cum vidéret in conspéctu iúdicis sui Christiánum, nómine Ursicínus, arte médicum, natióne Ligúrem, post nímia torménta capitálem accepisse senténtiam, et veniéntem ad palmam expavísse, velléque male evádere, exclamávit Vitális: « Noli Ursicíne, qui álios curáre consuevísti, teípsum ætérnæ mortis iáculo vulneráre, et qui per passiónes nímias venísti ad palmam, corónam pérdere a Dómino sempitérnam. » Audiens hoc Ursicínus, utrúmque genu in terra pósuit, et spiculatórem, ut feríret, hortátus est, agens pœniténtiam quod expavísset, atque máryrium consummávit. Beátus Vitális

corpus eius rápuit, et intra Ravénnam urbe sepelívit cum omni honóre mártiris débita explens, et ad iúdicem ultra veníre contémpsit. Tentus ítaque a Paulíno consulári, ob id máxime, quia præfátum Ursicínium in passiónis agóne pósito, suis exhortatióibus roborásset. Paulínus autem iussit eum levári in ecúleo, ut per torménta potuísset eius consénsus ad sacrificándum idólis provocáre. Cui Vitális ait: « Infiníta tibi dominátur stultítia, ut putes meípsum decípere, qui álios a deceptiόνis perículo stúdui liberáre. » Tu.

#### Lectio secunda

**T**UNC Paulínus consuláris dixit ad minístros suos: « Dúcite eum ad palmam, locum enim, ubi decollabántur Christiáni – hoc habébat vocábulum, eo, quod árbores palmæ illic essent – et nolíte eum decolláre, sed si sacrificáre contémpserit, fácite ibi fóveam, quóusque perveniátis ad aquam, et ibi eum supínium depónite, et terra atque lapídibus óbrutus dimíttite. » Quod cum factum fuísset, Deus sibi Vitálem ita mártirem consecrávit, ut sacérdos Apollínis, qui hoc consílium Paulíno déderat, a diábolo arréptus, per septem dies, ubi iacébat sanctus Vitális óbrutus, clamáret: « Sancte Vitális, incéndis me, martyr Christi, crúcias me! » Post septem autem dies præfocátus a diábolo in flúmine miserabíliter exspirávit. Sanctus autem Vitális est gloriósus martyr Christi in civitáte Ravénna, præstans oratióibus suis multa benefícia homínibus credéntibus in Dóminum, usque in hodiérnum diem. Valéria autem, coniunx eius, cum vellet corpus sancti mártiris auférre a Christiánis prohibita, et in visióibus sæpe mónita est, ne sanctum corpus a malo hómine bene pósito violáret. Ipsa autem cum reverterétur ad urbem Mediolanénsium, idóla tránsiens, silváno sacrificántes incúrrit. Cumque eam deponéntes de saginário, hortaréntur de idolatrícis manducáre, nec sibi omníno lícítum testarétur, quia esset Christiána, tanta ab eis cæde mactáta est, ut vix semivívas sui hómínes eam ad Mediolanénsium urbem perdúcerent. Quæ infra bíduum migrávit ad Dóminum. Tu.

*Cetera quære, si de uno martyre.*

## IN FESTO SANCTI PETRI MARTYRIS

## Oratio

**P**RÆSTA, quæsumus, omnipotens Deus, ut beāti Petri mártýris tui, et fidem cóngrua devotióne sectémur, qui pro eiúsdem fidei dilatióne palmam mártýrii méruiť obtinére. Per.

## Lectio prima

**B**EÁTUS Petrus novus martyr de órđine prædicatórum, fidei pugil egrégíus, de civitaté Veronénsi éxťitit oriúndus. Hic tanquam lumen spléndidum de fumo, lílium candens de fécibus, rubens rosa de spinis exóritur. Dum de paréntibus per errórem excácatis, lúcidus prædicátor exsúrgit, et de saucitátis mentem, corporéque corrúptis, virginále decus præcédit, et de spinis idem ætérno incéndio deputátus, ínclitus martyr ascéndit. Cum adhuc septem esset annórum, et a scholis redíret, a patre, qui hærésim sapiébat, quid nam in scholis didicísset, interrogarétur, qui respóndit se didicísse: « Credo in Deum, Patrem omnipoténtem, creatórem cæli et terræ. » Et ille: « Noli dícere creatórem cæli et terræ, cum ipse visibílium creatórum non fúerit, sed diábolus ista ómnia, quæ vidéntur, creávit. » Ipse vero puer se pótius velle dícere, sicut légerat, affirmábat, et sicut scriptum erat, se pótius egrédere velle dicébat. Tu.

## Lectio secunda

**V**IDENS ergo puer sanctus non se tutum cum scorió nibus habitáre, paténtem mundum despícies, órđinem fratrum prædicatórum subintrávit. In quo quidem órđine, quam laudabíliter víxerit, sicut étiam papa Innocéntius in sua epístola áperit, dicens: « Cum beatíssimus Petrus a mundi falláciis in annis adolescéntiæ próvide declinásset, ad órđinem fratrum prædicatórum se tránstulit. In quo órđine trigínta fere annórum spátio fultus catérva virtútum, in fide præámbula spe astánte, coniúnct<sup>ff</sup> caritaté, sic præváluit et perfécit. » Cum ígitur Décimus Mediolánum pérgeret, et pro exequénda inquisitione contra hæréticos sibi ab apostólica sede commíssa, sicut in pública prædicatióne díxerat, quidam ex credéntibus hæréticórum præce et præcio illórum indúctus, sacrum caput eius gládio ímpetens, illum non diverténte, sed se prótinus

---

<sup>ff</sup> A szentté avatási bullában (Magnis et crebris, 1253. III. 24.): comite

Hóstiam exhibéntem et dicéntem: « In manus tuas, Dómine, comméndo spíritum meum. » Tu.

## IN FESTO BEATORUM PHILIPPI ET IACOBI APOSTOLORUM

[Ad vesperas]

*Antiphona:* Pax vobis. *Ps.* Laudáte, púeri.

*Capitulum*

**S**TABUNT iusti in magna constántia, advérsus eos, qui se angustiavérunť, et qui abstulérunť labóres eórum. Deo.

*Responsorium*



Cándidi facti sunt Nazaræi eius, allelúia · splendórem Deo dedérunť, allelúia \* et sicut lac, coaguláti sunt, allelúia, allelúia. **V.** In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. **Et.**

*Hymnus:* Vita sanctórum. *Versiculus:* In omnem terram.

*Ad Magnificat antiphona*



Stabunt iusti in magna constántia advérsus eos, qui se angustiavérunť, et qui abstulérunť labóres eórum, allelúia.

*Oratio*

**D**EUS, qui nos ánnua apostolórum tuórum Philíppi et Iacóbi sollemnitate lætíficas, præsta, quæsumus, ut quorum gaudémus méritis, instruámur exémplic. Per.

## Ad matutinas

### Invitatorium



Alleluia. Regem apostolorum, Dóminum \* veníte, adorémus, alleluía. Ps. Veníte.

Ad nocturnos antiphona: Tristítia vestra. ut supra. Ps. Cæli enarrant. Benedicam Dóminum. Eructávit. Versiculus: In omnem terram.

Secúndum Ioánnem

**I**N illo témpore, dixit Iesus discípulis suis: « Non turbétur cor vestrum. Créditis in Deum, et in me créдите. In domo Patris mei mansiónes multæ sunt. » Et réliqua.

Lectio prima. Homéliea beáti Augustíni episcopi.⁂

**E**RIGÉNDÁ nobis est, fratres, ad Deum maior inténtio, ut verba sancti Evangélii, quæ modo in nostris áuribus sonuérunt, étiam mente cápere utcúnque póssimus. Ait enim Dóminus Iesus Christus: *Non turbétur cor vestrum, créditis in Deum, et in me créдите.* Ne mortem, tamquam hómínes timérent, nec ídeo turbaréntur, consolátur étiam eos, Deum se esse contéstans, *créditis – inquit – Deum, et in me créдите.* Cónsequens est enim, ut si in Deum créditis, étiam in me crédere debeátis. Quod non esset cónsequens, si Christus non esset Deus. Sed quid est, quod séquitur: *In domo Patris mei mansiónes multæ sunt* nisi quia et sibi metuébant, unde audíre debuérunt: *Non turbétur cor vestrum.* Quis enim eórum non metúeret, cum Petro dictum esset fidentióri, atque promptióri: *Non cantábit gallus, donec ter neges me.* Tamquam ergo essent ab illo peritúri, mérito turbabántur: sed cum áudiunt: *In domo Patris mei mansiónes multæ sunt: si quo minus, dixíssem vobis, quia vado paráre vobis locum,* a perturbatióne recreántur · certi ac fidéntes etiam post perícúla temptatiónum · se apud Deum cum Christo esse mansúros. Quia et si álius álio fórtior · álius álio iústior, álius álio sánctior, álius álio sapiéntior, nullus tamen eórum alienábitur ab illa domo, ubi mansiónem pro suo quisque acceptúrus est mérito, ut quóniam Deus est caritas, per caritátem fiat, ut quod

---

⁂ S. Aur. Augustíni opera omnia, In Evangelium Ioannis tractatus CXXIV, Tractatus LXVII, PL 35.

habent singuli, commúne sit ómnibus. Sicque enim quisque étiam habet, cum amat in áltero · quod ipse non habet. Non erit itaque álqua invidia ímparis claritátis, quóniam regnábít in ómnibus únitas caritátis. Tu.

*Responsorium*



Virtúte magna reddébant apóstoli \* testimónium resurrectionis Iesu Christi, Dómini nostri, allelúia, allelúia. **V.** In omnem terram exívit sonus eórum, et in fines orbis terræ verba eórum. [Testimónium.]

*Lectio secunda de vita sanctorum*

**S**ANCTUS Philíppus apóstolus, per unum annum iúgiter dócuit gentes per Scýthiam, quómo do periclitánti mundo Fílius Dei suo advéntu subvenísset, quómo do natus ex Vírgine, quómo do passus, quómo do tértia die resurrexísset, quómo do vidéntibus apóstolis ascendísset ad cælos, quómo do eis misísset Spíritum Sanctum, quem promíserat, qui véniens, quasi ignis, super duódecim apóstolos, ómnium géntium línguas, et sermocinátiones eórum méntibus insérui. Et quorum inquit número ego huc missus, scire vos feci idóla ista vana esse, et cultóribus suis inimíca. Hæc et his simília dicénte sancto Philíppo apóstolo, multa mília hóminum credidérunt, et baptizáti sunt. Ordinátus autem epíscopis et presbýteris, atque ecclésiis multis per Scýthiam instrúctis, sanctus apóstolus per revelatió nem ad Asiam revérsus in civitáte Gerápoli cómmorans, malignam hebeonítarum hærésim extínxit. Erant autem ibi duæ filíæ eius sacratíssime, per quas Deus multitudínem vírginum lucrátus est. Imminénte autem die vocatió nis suæ, ipse sanctus apóstolus ante septem dies migratió nis suæ, convocávit ad se omnes presbýteros et diácones et vicinárum úrbium epíscopos, et dixit eis: « Hos septem dies in ista vita ad commonéndum vos Deus mihi concessit. Mémoires ígitur estóte doctrínæ Dómini nostri Iesu Christi, et in fide eius viríliter state. Ipse autem sua præmíssa complébit, et Ecclésiám suam corroborávit. » Hæc et his simília prædicans eis apóstolus, et exhórtans omnem pópulum, cum esset annórum octogínta, perréxit ad Dóminum, et in ea civitáte repósitum est sanctum corpus eius. Post álquos étiam annos, duæ sacrae vírgines, filíæ eius, délixera

læváque sepúltæ sunt. Ubi méritis sancti apóstoli Philíppi præstántur credéntibus beneficia Dei. Tu.

Responsorium



Isti sunt agni novélli, qui annuciavérunt, allelúia \* modo venérunt ad fontem, repléti sunt claritáte, allelúia, allelúia. **V.** Amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum. **Modo.**

Lectio tertia

**T**ÉMPORE illo suscepit ecclésiám regendam Hierosólymam frater Dómini, Iacóbus, qui ab homínibus cognominátus est iustus. Hic autem ex útero matris suæ sanctus fuit, vinum et siceram non bibit, neque ánimál manducávit, et ferrum in caput eius non ascéndit, óleo non est perúctus, bálneis non est usus. Huic soli licébat introíre in sancta sanctorum. Neque enim láneo utebátur induménto, sed syndóne sola. Ingrediebátur autem templum, et iacébat super génua sua, orans pro pópuli indulgéntiam. Itaque pro incredíbili continéntia, et summa iustítia appellátus est iustus. Per prædicatiónem vero eius multi in Dei credidérunt, quia Iesus est Christus, Fílius Dei vivi. Cum ergo multi ex princípibus credidíssent in Iesum, facta fuit perturbátio scribárum et pharisæórum, dicéntium: « Nihil iam súperest, quin omnis pópulus credat in Iesum! » Et accessérunt ad Iacóbum, dicéntes: « Deprecámur te, virórum óptime et iuste, ut suádeas veritátem de Iesu · ómnibus conveniéntibus in die festo. Omnes enim tibi obtemperámus, et de te tam nos, quam pópulus testimónium perhibémus, quia iustus es. Tu ergo suade pópulo de Iesu, ne erret, quia omnes tibi obædimus. Quia vero in die festo convénit non solum iudeórum, sed étiam gentílium multitúdo, ascénde in excélsus locum pinnæ templi, ut in ædifício pósitus appáreas ómnibus, et verba tua audiátur a cunctis. » Statuérunt ergo scribæ et pharisæi supra pinnam templi Iacóbum, et voce magna clamántes ad eum dixerunt: « Virórum altíssime, cui omnes nos obtemperáre debémus, quia omnis pópulis errat post Iesum, qui crucifíxus est, enúncia nobis veritátem de Iesu. » Tunc Iacóbus voce magna clamávit ad omnes pópulum, dicens: « Viri Israélitæ, áudite, ad hoc in súblimi levátus sum, ut testimónium dicam de Iesu Nazaréno. Hic nostris tempóribus ex sémine David, ex virgináli útero natus est sub Heróde, passus est crucem sub Piláto

præsīde. Hic tertia die resurrexit a mortuis, et dedit nobis, discipulis suis patētem, in nōmine suo omnem infirmitātem curāndi. Post quadraginta vero dies resurrectiōnis suæ, vidētibz nobis in cælum ascendit, et non post multos dies super nos Spīritum Sanctum de cælo misit, qui ōmniū gēntiū nobis līnguas aperuit. » Cum ergo tali testimōnio Iacōbi multis fatīs factum esset, cepērunt gloriificāre Deum, et dīcere: « Osānna filio David! » Vidētes autem scribæ et pharisæi, congratulāri omnes in prædicatiōne eius, dixerunt ad invicem: « Male fēcimus, tale testimōnium prædicāntes de Iesu, sed ascendāmus, et præcipitēmus eum, ut ceteri terreāntur. » Et ascendētes ad eum dixerunt: « Nos te rogāvimus, ut errōrem pōpulo tōlleres de Iesum, tu autem ampliāsti. » Quibus Iacōbus dixit: « Ego errōrem tuli, et veritātem ostēdi. » Et præcipitāntes eum dicēbant adinvicem: « Lapidēmus Iacōbum! » Et cepērunt eum vèrgere lapidibus. At ille præcūmbens super gēnua sua, orābat, dicens: « Rogo te, Dōmine Deus, remitte illis, quia nesciunt, quid faciunt. » Cumque tālia orānte desuper lapidibus vèrgerent illum, unus de sacerdotibus exclamāvit, dicens: « Pārcite, pārcite, quæso, pro nobis orat hic iustus, quem lapidātis. » Cumque pōpuli vellent eos comprehendere, qui hoc fēcerat, fugērunt. Pōpuli autem cum omni honōre sepe liērunt corpus apōstoli ibi, iuxta templum · credētes Christum, Filium Dei. Tu.

**Responsorium:** Cāndidi facti sunt. *ut supra.*

## Ad laudes

**Antiphona**



**D**ōmine, ostēde nobis Patrem, et sūfficit nobis, allelūia · Philippe, qui videt me, videt et Patrem meum, allelūia. **Ps.** Dōminus regnāvit.

**Antiphona**



**S**i congovissētis me, et Patrem meum útique cognovissētis, et āmodo cognovissētis eum, et vidistis, allelūia.



## Antiphona



Philippe, qui videt me, allelúia · videt et Patrem, allelúia.

## Antiphona



Si manséritis in me, et verba mea in vobis mánsérint, quodcúmque petiériitis, fiet vobis, allelúia.

**Capitulum:** Stabunt iusti. **ut supra.** **Hymnus:** Tristes erant apóstoli. **Versiculus:** Annunciavérunt.

## Ad Benedictus antiphona



Non turbétur cor vestrum, neque fórmidet, créditis in Deum, et in me créдите, in domo Patris mei mansiónes multæ sunt, allelúia.

Ad horas antiphonæ de laudibus.

## Ad sextam

## Capitulum

**V**IDÉNTES turbabúntur timóre horríbili, et mirabúntur in subitatióne insperátæ salútis, dicéntes intra se, pœniténtiam agéntes, et præ angústia spíritus geméntes: « Hi sunt, quos aliquándo habúimus in derísu, et in similitúdinem impropérii.

## Ad nonam

## Capitulum

**N**OS insensáti vitam illórum æstimábamus insániam, et finem illórum sine honóre: ecce, quómodo computáti sunt inter fílios Dei, et inter sanctos sors illórum est. Deo.

## Ad secundas vesperas

**Antiphona:** Dómine, osténde nobis Patrem. **Ps.** Dixit Dóminus. Laudáte, púeri. Crédidi, propter quod. In converténdo. Dómine, probásti. **Capitulum:** Stabunt iusti.

**Responsorium:** Cándidi facti. **Hymnus:** Vita sanctórum. **Versiculus:** In omnem terram.

Ad Magnificat antiphona



Isti sunt duæ olívæ, et duo candelábra lucéntia ante Dóminum, habent potestátem cláudere cælum núbibus, et aperíre portas eius, quia linguæ eórum claves cæli factæ sunt, allelúia.

Oratio ut supra.

## IN INVENTIONE SANCTÆ CRUCIS

Ad vesperas

Antiphona

